This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com



Bibliothèque de la Faculté
de Théologie
Les Fontaines - CHANTILLY

L 23/35

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

L 53

CLERICUS DEVOTUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLERICUS DEVOTUS.

ORATIONES, MEDITATIONES ET LECTIONES SACRAE

AD USUM SACERDOTUM AC CLERICORUM.

ACCEDIT
EXTRACTUM EX RITUALI ROMANO.

CUM APPROBATIONE
REV. ARCHIEP. FRIBURGENSIS.

EDITIO SECUNDA RECOGNITA ET AUCTA.

BIBLIOTHÈQUE S. J.
Les Fontaines
60500 CHANTILLY

FRIBURGI BRISGOVIAE.
B. HERDER,
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS.
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE,
MONACHII, VINDOBONAE, LONDINI,
S. LUDOVICI.

Digitized by Google

Imprimatur.

Friburgi Brisgoviae, die 16 Septembris 1910.

✠ **Thomas,** Archiepp̃s.

Omnia iura reservantur.

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae. 1910.

Digitized by Google

INDEX.

PARS I.

Preces ante et post Missam.

	Pag.
Primus modus praeparationis . . .	1
Praeparatio ad Missam pro opportunitate sacerdotis facienda . .	1
Orationes pro opportunitate sacerdotis ante celebrationem et communionem dicendae	
Oratio S. Ambrosii episcopi . .	12
Alia oratio ante Missam	22
Oratio S. Thomae Aquinatis . .	24
Oratio ad Beatam Virginem Mariam ante Missam.	26
Oratio in honorem S. Ioseph, sponsi B. M. V., dicenda ante Missam	26
Oratio ad omnes Angelos et Sanctos	28
Oratio tantummodo dicenda, quando sacerdos in honorem Sancti vel Beati Missam celebrat	28
Directio intentionis ante Missam .	29
Memento vivorum	30
Memento mortuorum	31
Oratio S. Bernardi	32
Secundus modus praeparationis	
Actus fidei	34
Actus spei	36

Digitized by Google

Pag.

Actus caritatis 37
Actus desiderii 39
Actus humilitatis 40

Tertius modus praeparationis

Orationes ad efflagitandam dignam praeparationem 43
Oratio Thomae a Kempis . . . 44
Oratio S. Bonaventurae 47
Oratio S. Thomae 47
Orationes ad petendam dignam receptionem 48

Gratiarum actio post Missam

Primus modus 48

Orationes post Celebrationem et Communionem dicendae

Oratio S. Thomae de Aquino . . 53
Oratio S. Bonaventurae 55
Rhythmus S. Thomae ad Ss. Eucharistiam 57
Invocationes 58
Oratio ad Iesum crucifixum . . . 58
Oratio ad Iesum 59
Oratio ad Beatam Virginem Mariam 60
Oratio ad S. Ioseph 61
Oratio ad Sanctos 62
Oratio ad Sanctum, de quo lecta est Missa 62
Orationes S. Alphonsi Mariae de Liguori 63

Secundus modus gratiarum actionis

Actus amoris 84
Gratiarum actio 87

Digitized by Google

Pag.

Oblatio post Missam 90
Petitiones post Missam 93
Actus petitionis 96
Oratio pro felici morte per intercessionem S. Barbarae . . . 98
Oratio S. Thomae, qua virtutes christiani hominis petuntur . . 99
Oratio Clementis Papae XI. . . 101

Tertius modus gratiarum actionis

Oratio S. Thomae Aquinatis . . 104
Aspirationes S. Francisci Xaverii 105
Oratio ad B. Virginem 106
Petitiones S. Augustini . . . 106
Oratio S. Augustini ad B. V. Mariam 107
Orationes ex Missali Romano . . 108

PARS II.

Preces matutinae et vespertinae.

1. Preces matutinae

Hymnus ad Spiritum Sanctum . 114
Gratiarum actio 116
Actus oblationis 116
Actus unionis intentionis cum S. Corde 118
Actus fidei, spei, caritatis . . . 119
Actus contritionis 121
Oratio ad sacrosanctam Trinitatem 121
Actus oblationis S. Ignatii . . . 122
Oratio S. Aloysii Gonzagae ad Beatam Virginem Mariam . . 123
Oratio ad B. Virginem 124

Digitized by Google

Pag.

Oratio ad Cor Iesu pro agonizantibus 124
Orationes iaculatoriae 125

2. Preces vespertinae

Litaniae Lauretanae 126
Examen conscientiae 129
Oratio S. Augustini 131
Oratio S. Alphonsi 133
Actus caritatis 134
Praeparatio ad mortem 134
Oratio ad Beatam Virginem Mariam pro bona morte impetranda . 135
Oratio pro conversione haereticorum 136
Orationes iaculatoriae 136

PARS III.

Preces in visitatione SS. Sacramenti; necnon aliae selectae preces.

Primus modus visitationis

Oratio S. Alphonsi 138
Alia oratio ad Iesum 140
Oratio ad gratiam implorandam servandae castitatis 142
Oratio iaculatoria 143
Communio spiritualis 144
Oratio ad Beatam Mariam Virginem 144

Secundus modus visitationis

Litaniae de SS. Corde Iesu . . 146
Litaniae SS. Nominis Iesu . . 149
Oratio ad SS. Sacramentum et ad SS. Cor Iesu 153

Digitized by Google

Pag.

Oratio S. Augustini ad Beatam Virginem Mariam 154

Tertius modus visitationis

Iubilus S. Bernardi 155

Oratio S. Bernardi ad Beatam Virginem Mariam 163

Quartus modus visitationis

Officium parvum SS. Cordis Iesu 163

Officium parvum Immaculatae Conceptionis 173

Litaniae de S. Ioseph 184

Litaniae de omnibus Sanctis . . 186

Preces ante studium

Oratio S. Thomae ante studium . 200

Alia oratio S. Thomae 200

Sequentia ad Sanctum Spiritum . 201

Consecratio studiorum in honorem immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis 204

Oratio ad S. Thomam, scholarum catholicarum Patronum . . . 205

Oratio sacerdotis et seminaristae ad sese praemuniendum contra modernistarum errores 206

Orationes ante et post confessionem sacerdotis

1. Ante confessionem 207

2. Post confessionem 209

Orationes dicendae a confessariis

Antequam excipiant confessiones 209

Postquam confessiones exceperint 211

Digitized by Google

Pag.

Exercitium Viae Crucis 211

Orationes

1. Tempore Adventus Domini 229
2. In Nativitate Domini . . . 230
3. Tempore Quadragesimae . 231
4. In Resurrectione Domini . 231
5. Die Pentecostes 232
6. Oratio quotidiana 232

PARS IV.

Extractum e Rituali Romano.

Ordo Baptismi parvulorum . . . 233

Ordo supplendi omissa super baptizatum 247

Ordo administrandi Sacram Communionem infirmis 248

Ordo ministrandi Sacramentum Extremae Unctionis 253

Extrema Unctio in casu mortis imminentis 263

Ritus Benedictionis Apostolicae in articulo mortis 264

Benedictio Apostolica in imminenti mortis periculo 268

Ordo commendationis animae . . 269

In Exspiratione 281

Exequiarum ordo 284

Ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum 297

Benedictiones

Benedictio aegrotantis 301

Benedictio domus novae . . . 304

Benedictio ad omnia 305

Digitized by Google

PARS V.

Meditationes.

	Pag.
De ipsa ratione meditandi . . .	307
Schema meditationis iuxta mentem S. Ignatii	310
Oratio ante meditationem	312
Oratio post meditationem	312

Series I.

De Novissimis.

1. De fine hominis	313
2. De fine hominis	315
3. De morte	318
4. De morte	321
5. De iudicio particulari	324
6. De purgatorio	326
7. De purgatorio	329
8. De iudicio universali	331
9. De inferno	334
10. De inferno	337
11. De inferno	339
12. De caelo	342
13. De caelo	345
14. De caelo	348
15. De caelo	351

Series II.

De virtutibus, et vitiis sacerdotalibus.

16. De duobus vexillis	354
17. De vanitate carnalium voluptatum et divitiarum	358

Digitized by Google

Pag.

18. De remediis contra impuritatem 362
19. De remediis contra impuritatem 365
20. De castitate 367
21. De superbia et humilitate . . 369
22. De pigrita et fervore 372
23. De obedientia sacerdotis . . . 377
24. De obedientia sacerdotis . . . 379
25. De virtute paupertatis 382
26. De virtute paupertatis 384
27. De necessitate orationis . . . 386
28. De orationis efficacia 390
29. De orationis conditionibus . . 393

Series III.

De septem Ordinibus et de obligationibus ecclesiasticorum.

30. De Clericatu et Ordinibus Minoribus 398
31. De sacro Ordine Subdiaconatus 401
32. De sacro Ordine Diaconatus . 404
33. De sacro Ordine Presbyteratus: I. Monitiones praeviae . . . 407
34. De sacro Ordine Presbyteratus: II. Ipsa essentia ordinationis . 409
35. De sacro Ordine Presbyteratus: III. Reliqua 413
36. De dignitate sacerdotii et de sanctitate ab ipso requisita . . 417
37. De clericorum agendi ratione in mundo 420
38. De Sacramento Poenitentiae . 425
39. De excellentia sacrificii Missae . 428

Digitized by Google

Pag.

40. De praeparatione ad Missam (Communionem) 431
41. De gratiarum actione post Missam (Communionem) 434

Series IV.

De amore Iesu patientis, eucharistici, amorem Cordis manifestantis, et B. Mariae Virginis.

42. De passione et morte Christi . 437
43. De passione et morte Christi . 440
44. De frequenti Communione . . 443
45. Promissiones a Iesu Christo factae cultoribus Cordis sui amabilissimi 448
46. De ipso cultu SS. Cordis Iesu . 452
47. De assumptione Beatae Mariae Virginis 457
48. De assumptione Beatae Mariae Virginis 461
49. De nativitate Beatae Mariae Virginis 464
50. De nativitate Beatae Mariae Virginis 466

Series V.

Meditationes de Festis.

51. Circumcisio (Initium novi anni) 468
52. Epiphania 469
53. SS. Nominis Iesu 469
Quattuor Tempora et dies anniversarius ordinationum 470

Digitized by Google

Pag.

54. Purificatio B. M. V. 470
55. Annuntiatio B. M. V. 470
56. Septem Dolorum B. M. V. . . 471
Hebdomada Sancta 471
Coena Domini 471
Parasceve 471
Sabb. Sanctum 471
57. Dom. Paschalis 471
Ascensio Domini 475
58. Dom. Pentecostes 475
Corporis Christi 477
SS. Cordis Iesu 477
Assumptio B. M. V. 478
Nativitas B. M. V. 478
Omnium Sanctorum 478
In Comm. Omnium Fid. def. . . 478
59. Immac. Conceptio B. M. V. . 478
60. Nativ. Domini 480

PARS VI.

Lectiones sacrae.

SS. D. N. Pii PP. X exhortatio ad clerum 483
Encyclicae Leonis XIII: De Rosario Mariali 533

PARS VII.

Hymni in honorem B. M. V.

Sequentia in Assumptione B. M. V. 544
Altera sequentia in Assumptione B. M. V. 547

Digitized by Google

Pag.

Sequentia in Purificatione B. M. V. 549
Prosa in Dominica infra oct. Nat. . 552
Sacrosancta Virgo Maria ad Crucem comparata 554
Hymnus S. Ephraim Syri in honorem B. M. V. 556
Rhythmus de B. M. V. ad Praesaepe Domini 559

Appendix complete exhibens omnes Preces iaculatorias . . . 563

Additamenta ad partem IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Pars I.

Preces ante et post Missam [1].

Primus modus praeparationis.

(Ex Missali Romano.)

Praeparatio ad Missam

pro opportunitate sacerdotis facienda.

Antiphona. Ne reminiscaris, Domine, delicta, nostra vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris [2].

---

[1] Quamplurimae ex his precibus, licet sint tantum indulgentiis ditatae in favorem sacerdotum, fructuose tamen ab alumnis Seminarii recitabuntur ante et post Communionem.

[2] Indulg. unius anni pro sacerdotibus in praeparatione ad Missam recitantibus praeter quinque Psalmos 83 84 85 115 et 129 cum antiph., vers. et orat. adnexis (p. 10 sqq) unam ex septem orationibus S. Ambrosii, prout infra p. 13 sqq singulis hebdomadae diebus assignatur (Leo XIII, 20 Dec. 1884). — Nota. Quilibet sacerdos qui quotidie

Digitized by Google

Quae antiphona in festis duplicibus tantum duplicatur, et tempore Paschali additur in fine *Alleluia*.

Deinde dicuntur sequentes Psalmi.

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum : concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea : exsultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum : et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum : rex meus et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine : in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cuius est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrimarum, in loco quem posuit.

---

unius mensis spatio omnes et singulas preces die 20 Dec. 1884 indulgentiis ditatas recitaverit, prout hoc cap. ante et post Missam dicendae indicantur, consequi insuper potest indulg. plenariam semel in mense, die ad arbitrium eligenda.

Digitized by Google

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam : auribus percipe, Deus Iacob.

Protector noster aspice Deus : et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis : super millia.

Elegi abiectus esse in domo Dei mei : magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus : gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia : Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te. Gloria Patri etc.

Psalmus 84.

Benedixisti, Domine, terram tuam : avertisti captivitatem Iacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae : operuisti omnia peccata eorum.

Digitized by Google

Mitigasti omnem iram tuam : avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos, Deus salutaris noster : et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos : et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam : et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius : ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia, et veritas obviaverunt sibi : iustitia, et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est : et iustitia de caelo prospexit.

Digitized by Google

Etenim Dominus dabit benignitatem : et terra nostra dabit fructum suum.

Iustitia ante eum ambulabit : et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri etc.

Psalmus 85.

Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me : quoniam inops, et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum : salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die : laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis : et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam : et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te : quia exaudisti me.

Digitized by Google

Non est similis tui in diis, Domine : et non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine : et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia : tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua : laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo : et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me : et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam : et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine Deus, miserator et misericors : patiens, et multae misericordiae, et verax.

Digitized by Google

Respice in me, et miserere mei, da imperium tuum puero tuo : et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, et confundantur : quoniam tu, Domine, adiuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri etc.

Psalmus 115.

Credidi, propter quod locutus sum : ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo : omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino : pro omnibus, quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam : et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius : pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

O Domine, quia ego servus tuus : ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Digitized by Google

Dirupisti vincula mea : tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius : in atriis domus Domini, in medio tui Ierusalem.

Gloria Patri etc.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine : Domine, exaudi vocem meam :

Fiant aures tuae intendentes : in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine : Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est : et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius : speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem : speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia : et copiosa apud eum redemptio.

Digitized by Google

Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria Patri etc.

Deinde repetitur:

Antiphona. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Postea sacerdos dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Ego dixi: Domine, miserere mei.

R. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

V. Convertere, Domine, aliquantulum.

R. Et deprecare super servos tuos.

V. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.

Digitized by Google

R. Quemadmodum speravimus in te.

V. Sacerdotes tui induantur iustitiam.

R. Et sancti tui exsultent.

V. Ab occultis meis munda me, Domine.

R. Et ab alienis parce servo tuo.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia Sancti Spiritus illumina cor nostrum: ut tuis mysteriis digne ministrare teque aeterna caritate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te per-

Digitized by Google

fecte diligere et digne laudare mereamur.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet: et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus, Domine, virtus Spiritus Sancti: quae et corda nostra clementer expurget et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quaesumus, Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Iesus Christus Filius tuus paratam sibi in nobis inveniat mansionem, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

ORATIONES

pro opportunitate sacerdotis ante celebrationem et communionem dicendae.

Oratio S. Ambrosii episcopi.

Die Dominica.

Summe Sacerdos et vere Pontifex Iesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in ara crucis pro nobis miseris et peccatoribus, et qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum et sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium istud in virtute Spiritus Sancti tui, dicens: Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis: rogo per eumdem sanguinem tuum, magnum salutis nostrae pretium, rogo per hanc miram et ineffabilem caritatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in sanguine tuo: doce me servum tuum indignum, quem inter cetera dona tua etiam ad officium sacer-

Digitized by Google

dotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae; doce me, quaeso, per Spiritum Sanctum tuum, tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet et expedit animae meae. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe sunt nimis et sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Missarum solemnia mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia et fida custodia ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per vir-

Digitized by Google

tutem tanti mysterii et per manum sancti Angeli tui repelle a me et a cunctis servis tuis durissimum spiritum superbiae et cenodoxiae, invidiae et blasphemiae, fornicationis et immunditiae, dubietatis et diffidentiae. Confundantur, qui nos persequuntur; pereant illi, qui nos perdere festinant.

Feria secunda.

Rex virginum et amator castitatis et integritatis, caelesti rore benedictionis tuae exstingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor castitatis corporis et animae. Mortifica in membris meis carnis stimulos omnesque libidinosas commotiones et da mihi veram et perpetuam castitatem cum ceteris donis tuis, quae tibi placent in veritate: ut sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione et lacrimarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis casti-

Digitized by Google

tate et animae puritate istud divinum et caeleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena divinis iunguntur, ubi adest sanctorum Angelorum praesentia, ubi tu es sacrificium et sacerdos mirabiliter et ineffabiliter constitutus!

Feria tertia.

Quis digne hoc mysterium celebrare poterit, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? Scio, Domine, et vere scio et idipsum pietati tuae confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea et infinitas negligentias meas. Sed scio et veraciter ex toto corde meo credo et ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, et de peccatoribus iustos et sanctos. Per hanc omnipoten-

Digitized by Google

tiam tuam te rogo, Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc sacrificium celebrare cum timore et tremore, cum cordis puritate et lacrimarum fonte, cum laetitia spiritali et caelesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimae praesentiae tuae et excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

Feria quarta.

Ego enim, Domine, memor venerandae passionis tuae accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti et offerri praecepisti in commemorationem tui, pro salute nostra. Suscipe illud, quaeso, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua et pro populo, quem acquisivisti sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te et eumdem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis cre-

Digitized by Google

ditae non recuses, nec per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es esse et redemptio. Profero etiam, Domine (si digneris propitius intueri), tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria iuvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feria quinta.

Tu enim misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum, quae fecisti. Memorare, quae sit nostra substantia: quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es, ne irascaris satis neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitates nostras, et ignem Sancti

Digitized by Google

Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, et da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam, sacri tui nominis officia praestolantem, aspicere digneris: et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse propitius audire et exaudire delecteris.

Feria sexta.

Rogamus etiam te, Domine sancte Pater, et pro spiritibus fidelium defunctorum: ut sit illis salus, sanitas, gaudium et refrigerium hoc magnum pietatis sacramentum. Domine Deus meus, sit illis hodie magnum et plenum convivium de te pane vivo, qui de caelo descendisti et das vitam mundo de tua carne sancta et benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quae

Digitized by Google

de sancto et glorioso beatae Virginis Mariae utero est assumpta et de Spiritu Sancto concepta; ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo latere emanavit: ut exinde refecti et satiati, refrigerati et consolati exsultent in laude et gloria tua. Peto clementiam tuam, Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuae benedictionis et sanctificatio tuae divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa Sancti Spiritus tui invisibilis incomprehensibilisque maiestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat: qui et oblationes nostras corpus et sanguinem tuum efficiat et me indignum sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate et lacrimarum devotione, cum reverentia et tremore, ita ut placide ac benigne suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum quam defunctorum.

Digitized by Google

Sabbato.

Rogo etiam te, Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium corporis et sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur atque unius summae Divinitatis participes efficimur: da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut haec caelestia sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam praeter te sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum et omnem saporem, qui nos semper reficis et num-

Digitized by Google

quam in te deficis: comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae. Manducat te Angelus ore pleno: manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendisti de caelo et das vitam mundo, veni in cor meum et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et munda me interius et exterius. Esto tutamen et continua salus animae et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes: recedant procul a praesentia potentiae tuae, ut foris et intus per te munitus recto tramite ad tuum regnum perveniam: ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri et eris Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut nec esuriam

Digitized by Google

nec sitiam in aeternum. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Alia oratio ante Missam[1].

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Iesu Christe, ego peccator, de propriis meis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Maiestas, ego miser inter angustias deprehensus ad te fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio: et quem iudicem sustinere nequeo, salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo: tibi verecundiam meam de-

[1] Indulg. 100 dierum sacerdotibus hanc orationem S. Ambrosii ad D. N. I. C. in praeparatione ad Missam recitantibus (Leo XIII, 20 Dec. 1884).

Digitized by Google

tego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, Domine Iesu Christe, Rex aeterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem: exaudi me sperantem in te, miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fontem miserationis numquam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve, nobilis et pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Iesu Christi profluens et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo sanguine redemisti. Paenitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea: ut purificatus mente et corpore digne degustare merear Sancta Sanctorum: et concede, ut haec sancta praelibatio corporis et sanguinis tui, quam

Digitized by Google

ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

Oratio S. Thomae Aquinatis [1].

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi: accedo tamquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum caeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire

---

[1] Indulg. 100 dierum sacerdotibus eam in praeparatione ad Missam recitantibus (Leo XIII, 20 Dec. 1884).

Digitized by Google

nuditatem: ut panem Angelorum, Regem regum et Dominum dominantium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso, dominici corporis et sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari et inter eius membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

His precibus Missalis Romani utiliter sequentes addi poterunt.

Digitized by Google

Oratio ad beatam Virginem Mariam ante Missam [1].

O Mater pietatis et misericordiae, beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu et precor pietatem tuam, ut sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti astitisti, ita et mihi misero peccatori et sacerdotibus omnibus hic et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus clementer assistere digneris, ut tua gratia adiuti dignam et acceptabilem hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

Oratio in honorem S. Ioseph, sponsi beatae Mariae Virginis, dicenda ante Missam [2].

O felicem virum beatum Ioseph, cui datum est, Deum, quem multi

---

[1] Indulg. 100 dierum sacerdotibus hanc orationem ante Missam recitantibus (Leo XIII, 17 Febr. 1883).

[2] Indulg. 100 dierum sacerdotibus hanc orationem ante Missam recitantibus (Pius IX, 4 Febr. 1877).

Digitized by Google

reges voluerunt videre, et non viderunt, audire, et non audierunt, non solum videre et audire, sed portare, deosculari, vestire et custodire.

V. Ora pro nobis, beate Ioseph.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui dedisti nobis regale sacerdotium, praesta, quaesumus, ut sicut beatus Ioseph unigenitum Filium tuum, natum ex Maria Virgine, suis manibus reverenter tractare meruit et portare, ita nos facias cum cordis munditia et operis innocentia tuis sanctis altaribus deservire, ut sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem hodie digne sumamus et in futuro saeculo praemium habere mereamur aeternum. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

Oratio ad omnes Angelos et Sanctos [1].

Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes caelorum, Cherubim atque Seraphim, omnes Sancti et Sanctae Dei, praesertim Patroni mei, intercedere dignemini pro me, ut hoc sacrificium Deo omnipotenti digne valeam offerre ad laudem et gloriam nominis sui, et ad utilitatem meam totiusque Ecclesiae suae sanctae. Amen.

Oratio tantummodo dicenda, quando sacerdos in honorem Sancti vel Beati Missam celebrat [2].

O sancte N. (O beate N.), ecce ego miser peccator, de tuis meritis confisus, offero nunc sacratissimum Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi pro tuo honore et gloria. Precor

---

[1] Indulg. 100 dierum sacerdotibus hanc orationem in praeparatione ad Missam recitantibus (Leo XIII, 20 Dec. 1884).

[2] Indulg. 100 dierum eodem modo in Rescripto 20 Dec. 1884 sacerdotibus concessa.

Digitized by Google

te humiliter et devote, ut pro me hodie intercedere digneris, ut tantum sacrificium digne et acceptabiliter offerre valeam, ut eum tecum et cum omnibus electis eius aeternaliter laudare atque cum eo regnare valeam: Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Directio intentionis ante Missam [1].

Ego volo celebrare Missam et conficere corpus et sanguinem Domini Nostri Iesu Christi iuxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae ad laudem omnipotentis Dei totiusque Curiae triumphantis, ad utilitatem meam totiusque Curiae militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, ac pro felici statu sanctae Romanae Ecclesiae. Amen.

---

[1] Gregorius XIII concessit indulg. 50 dierum cuilibet sacerdoti hanc orationem ante Missam recitanti; iuxta plures auctores 50 annorum (cf. Chaignon, Médit. Sacerdot. I, Paris 1863, 409).

Digitized by Google

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae paenitentiae, gratiam et consolationem Sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Potest etiam celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes tam vivos quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et (in Canone ad utrumque *Memento*) generaliter unico contextu ipsorum commemorationem agere (Missale Romanum, Ritus celebr. Miss. VIII, 3).

Memento vivorum.

1. Memento, Domine, mei (exprimat hic sacerdos gratias et beneficia, quae per sanctum sacrificium consequi intendit).

2. Memento parentum meorum et amicorum viventium (exprimi hic poterunt pater, mater, fratres, sorores, consanguinei, affines et amici celebrantis).

3. Omnium superiorum et benefactorum in spiritualibus et temporalibus.

Digitized by Google

4. Omnium mihi commissorum in genere et in specie.

5. Omnium sacerdotum et ministrorum Ecclesiae.

6. Omnium inimicorum meorum et eorum, quibus fui occasio peccati.

7. Omnium haereticorum et infidelium ad conversionem.

8. *Omnium peccatorum totius mundi, qui nunc positi sunt in agonia et hodie morientur* [1].

9. Omnium, qui se commendarunt precibus meis, et omnium, pro quibus vis et scis me debere orare.

Memento mortuorum.

1. Memento etiam, Domine, animarum parentum meorum et amicorum defunctorum (exprimantur ut supra).

---

[1] Pius X sacerdotibus, qui in *Memento* hanc commemorationem habuerint, indulg. 100 dierum, defunctis applicab. concessit. (S. Congr. Ind., 10 Dec 1907). Insuper Sanctitas Sua hanc piam consuetudinem exemplo suo nobis commendat.

Digitized by Google

2. Superiorum et benefactorum.

3. Sacerdotum et ministrorum Ecclesiae.

4. Eorum, quibus fui occasio peccati.

5. Eorum, qui meis precibus sunt commendati.

6. Improvisa morte corporibus exutorum.

7. Tandem illorum, pro quibus teneor et vis me orare, ac illorum, quorum non est specialis memoria.

Nota 1. Intendo celebrare pro . . .

2. Indulgentiam plenariam altaris privilegiati (si titulus praesto est) applicare intendo defuncto . . . (pro quo celebrabo Missam).

Oratio S. Bernardi,

qaum recitare poterit sacerdos, dum vadit in Sacristiam.

Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta Virgo Maria, inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis, et per te nos sus-

Digitized by Google

cipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas tua, Deo tam grata, nostrae veniam impetret vanitati et superbiae. Copiosa caritas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et fecunditas tua gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum. O Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta. Fac, o benedicta, per gratiam quam invenisti, per praerogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut, qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes faciat nos gloriae et beatitudinis suae Iesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

Digitized by Google

Secundus modus praeparationis.

(Orationes Card. Bona: Tractatus de Sacrificio Missae, in fine.)

Actus fidei.

Quis mihi det, suavissime Iesu, ut sub candido specierum sacramentalium velamine vultum tuum intueri possim, in quem desiderant Angeli prospicere? Quis mihi det, ut pateant mihi fontes saluberrimi quinque vulnerum tuorum, quae oculis fidei in tuo corpore cerno, fontes aquarum viventium in ablutionem peccatricis animae meae? O venae salientes in vitam aeternam, effundite super me aquam gratiae, quae sitim meam satiet, ut gaudio repletus et fide viva imbutus exclamem cum Thoma apostolo: Dominus meus et Deus meus. Credo enim firmissima fide, te in augustissimo Sacramento Corporis et Sanguinis tui vere praesentem esse Deum meum et

Digitized by Google

Dominum meum; et pro hac assertione millies mori paratus sum. Credo, inquam, quod in hoc sacramento corpus tuum gloriosissimum vere adest, sole splendidius, electum ex millibus, cum ea integritate, pulchritudine, maiestate, qua in caelo exsistit et qua nulla maior concipi potest. Ibidem est sanguis olim pro nostra omniumque salute effusus. Ibi est anima omni gratia et sapientia plena, in qua sunt omnes thesauri virtutum et scientiae Dei. Ibi denique latet divinitas tua, Verbum scilicet omnipotens, per quod Pater dicit omnia; et quia tu in Patre et Pater in te est, adest etiam Pater te Verbum suum generans; adest et Spiritus Sanctus utriusque nexus et amor. Hoc est compendium omnium mirabilium tuorum, hoc summum prodigium, omnium creatarum mentium captum excedens, haec veritas infallibilis, quam, te largiente, per gladios et ignes profitebor.

Digitized by Google

Actus spei.

In te solo spem meam colloco, dulcissime Iesu, quia tu salus et virtus mea, tu refugium et firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Quomodo etiam auderem hoc tremendum sacrificium Deo Patri offerre teque in eo suscipere, nisi fiduciam tu mihi praeberes, qui me tuo sanguine redemisti? De tua igitur benignitate confisus accedo ad te, ut ovis morbida ad pastorem, ut infirmus ad medicum, ut reus morti obnoxius ad advocatum, ut tu me foveas, protegas, corrobores et sanes. Abyssus nihili mei abyssum invocat bonitatis tuae; nam licet peccata mea plurima et gravissima sint, ea tamen nihil sunt, quamvis plura et graviora forent, si cum misericordia tua et pretio sanguinis tui conferantur. In ipso reposita est tota fiducia mea, et gaudeo, quod nihil in me sit, in quo possim confidere. Miserere mei et salva

Digitized by Google

me, qui numquam deseris sperantes in te.

Actus caritatis.

O quanta vis amoris cor tuum succendit, amantissime Iesu, cum transiturus de hoc mundo ad Patrem mensam parasti nobis, habentem omne delectamentum et omnem saporem suavitatis! Grande quidem fuit et admirabile opus amoris tui, quod naturam nostram assumere dignatus sis; sed longe praestantius et mirabilius est, quod corpus tuum in cibum et sanguinem in potum reliqueris: in illo siquidem nostram suscepisti humanitatem, in hoc tuam largiris divinitatem. Sic totum thesaurum gratiae tuae in nos effudisti, ut, immensa hac dilectione praeventi, amoris vicem tibi rependere totis viribus satagamus. Amo itaque te unicum meum solatium in hoc exilio, unica spes languentis animae, unica mea felicitas et summum bonum, quo in terris frui

Digitized by Google

licet. Amo te toto corde, tota mente, tota virtute: atque utinam omni momento te ferventius semper amarem! Hoc est ardens desiderium meum, huc feruntur gemitus mei et suspiria cordis mei. Ad te enim trahis omnes vires animae meae, dum te ipsum transfundis in me: dum, quantum fieri potest, me similem tui facis: dum esurientem animam meam non cibo aliquo terreno, sed pretioso corpore et sanguine tuo nutris, satias et saginas. Pro hac tua ineffabili largitate amo te, Deus meus, et, ut numquam cessem amare te, amorem meum te ipso inflamma, qui esca et pabulum amoris es. O ignis iugiter ardens et numquam deficiens, ure renes meos et cor meum, ut ardeant amore tui! Ignem venisti mittere in terram, accendè illum et eventila, ut semper crescat. Te enim amabo, si amandi vires praebueris, et eo amplius amabo, quo uberiorem amandi gratiam infuderis: num-

Digitized by Google

quam tamen te amabo, ut dignus es.

Actus desiderii.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Salvator meus Domine Iesu: desiderat, inquam, anima mea accedere ad te, teque offerre Deo Patri, ac de fontibus salvationis tuae vinum laetificans in gaudio haurire. Sitio enim, Domine, lassatus in via iniquitatis; sitio te Deum meum venam aquarum viventium; sitio sanguinem tuum, quem mihi in potum mirabiliter tribuisti. Ad te venio et clamo post te, liberator meus, esuriens et sitiens: miserere mei, Fili David, et da mihi panem tuum, da vinum quod miscuisti, ut refocilletur anima mea. Atque utinam possem omnium Sanctorum affectus et inflammata desideria habere teque semper sitire fontem vitae, fontem sapientiae, fontem aeterni luminis, torrentem volup-

Digitized by Google

tatis. Utinam te semper esuriat cor meum, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum; et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae. Renuit consolari anima mea, donec suscipiam te omne bonum meum, Domine Iesu, quem solum ardentissime concupisco cum omni affectu et devotione omnium electorum tuorum tecum epulantium in mensa tua, quorum divitias offero tibi in supplementum inopiae meae. Esto tu solus gaudium meum, tranquillitas mea, refectio mea et thesaurus meus, in quo mens mea quiescat. Nihil desiderem extra te, et omnia mihi vilescant praeter te, Deus meus, dulcedo mea et unicum centrum cordis mei!

Actus humilitatis.

Immense, tremende, potentissime et incomprehensibilis Deus, quis es tu et quis sum ego, ut digneris venire ad me, mecum epulari et mansionem apud me

Digitized by Google

facere? Heu! quanta est dignatio tua, quanta miseria et ingratitudo mea! Tu Rex regum et Dominus dominantium, qui respicis terram et facis eam tremere: tu fons sanctitatis, coram quo Angeli non sunt puri: tu sol claritatis aeternae, qui lucem inhabitas inaccessibilem; ego vero animal immundum, omnium calamitatum ludibrio expositum, insanis perturbationum motibus agitatum, omni vanitati subiectum, vas contumeliae, filius irae et tenebrarum. Et quomodo potest lucis tuae ad tenebras meas esse conventio? Quomodo praesumam ad te accedere vermiculus terrae, in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat? Qua fiducia coram te apparebo, iustissime Iudex, ante cuius conspectum columnae caeli contremiscunt? Longe enim recessi a te, qui tamen ubique es, et miserabilis anima mea, quam tibi in baptismate desponsaveras, fornicata est cum amatoribus multis, te repudians

Digitized by Google

Creatorem et Redemptorem, ut fallacibus creaturis adhaereret. Tu me segregasti ex utero matris meae et vocasti per gratiam tuam, ut lucerem coram hominibus doctrinae et vitae splendore: ego vero in tenebris vixi, non sapiens quae tua sunt, sed quae super terram. Tu parasti mihi mensam in dulcedine tua, et suspiravi ad ollas carnium Aegypti. Tu potasti me sanguine tuo, et converti me ad poculum Babylonis. Verumtamen ego loquar ad te, cum sim pulvis et cinis. Respice servum tuum et suscipe me, quem tam amanter invitas ad te. Iam enim cognovi, quia sine te nihil sum, nihil possum, et extra te non est salus nec vita. Proice ergo post tergum tuum omnia peccata mea et amplectere me, quamvis indignissimum gratia tua, ad te revertentem, iuxta verbum Prophetae tui dicentis: Sacrificium Deo spiritus contribulatus? cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Digitized by Google

Tertius modus praeparationis.

(Preces selectae.)

Orationes ad efflagitandam dignam praeparationem.

Da, quaesumus Domine, populis christianis, et quae profitentur, agnoscere: et caeleste munus diligere, quod frequentant [1].

Deus, qui nos communionis quotidiana solemnitate laetificas: concede propitius, ut per temporalia festa, quae quotidie agimus, pervenire ad gaudia aeterna mereamur [2].

Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei, et caritatis augmentum: et tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui Sacra Mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus [3].

---

[1] Fer. 5 post Dom. 1 Quadr. ad Vesp.
[2] Fer. 4 post Pascha, Collecta (immutata).
[3] Collecta Dom. 13 post Pentec. et Fest. Corp. Christi.

Digitized by Google

Oratio Thomae a Kempis [1].

Super bonitate tua, et magna misericordia tua, Domine, confisus, accedo aeger ad Salvatorem, esuriens et sitiens ad fontem vitae, egenus ad Regem coeli, servus ad Dominum, creatura ad Creatorem, desolatus ad meum pium consolatorem. Sed unde hoc mihi, ut venias ad me? Quis ego sum, ut praestes mihi te ipsum? Quomodo audet peccator coram te apparere? Et tu quomodo dignaris ad peccatorem venire? Tu nosti servum tuum, et scis quia nil boni in se habet, unde hoc illi praestes. Confiteor igitur vilitatem meam, agnosco tuam bonitatem, laudo pietatem, et gratias ago propter nimiam caritatem. Laudo te, Deus meus, et exalto in aeternum. Despicio me, et subiicio tibi, in profundum vilitatis meae. Ecce tu Sanctus sanctorum, et ego sordes peccatorum. Ecce tu inclinas te ad

[1] Imit. Chr. l. 4, c. 2 3 4.

Digitized by Google

me, qui non sum dignus ad te respicere. Ecce tu venis ad me, tu vis esse mecum, tu invitas ad convivium tuum. Tu mihi dare vis caelestem cibum, et panem angelorum ad manducandum, non alium sane, quam te ipsum, panem vivum, qui de caelo descendisti, et das vitam mundo. O mira circa nos tuae pietatis dignatio, quod tu, Domine Deus, Creator et vivificator omnium spirituum, ad pauperculam dignaris venire animam, et cum tota divinitate tua ac humanitate, eius impinguare esuriem. Domine, in simplicitate cordis mei, in bona firma fide, et in tua iussione, ad te cum spe ac reverentia accedo, et vere credo, quia tu praesens es hic in Sacramento, Deus et homo. Vis ergo, ut te suscipiam, et meipsum tibi in caritate uniam. Unde tuam precor clementiam, et specialem ad hoc imploro mihi donari gratiam, ut totus in te liquefiam et amore pereffluam, atque de nulla aliena

Digitized by Google

consolatione amplius me intromittam. Est enim hoc altissimum et dignissimum Sacramentum salus animae et corporis, medicina omnis spiritualis languoris, in quo vitia mea curantur, passiones frenantur, tentationes vincuntur aut minuuntur, gratia maior infunditur, virtus incepta augetur, firmatur fides, spes roboratur, et caritas ignescit ac dilatatur. Quidquid autem mihi deest, Iesu bone, Salvator sanctissime, tu pro me supple benigne ac gratiose, qui omnes dignatus es ad te vocare, dicens: Venite ad me omnes. Ego quidem laboro in sudore vultus mei, dolore cordis torqueor, peccatis oneror, tentationibus inquietor, multis malis passionibus implicor et premor: et non est qui adiuvet, non est qui liberet, et salvum faciat, nisi tu, Domine Deus, salvator meus, cui committo me et omnia mea, ut me custodias, et perducas in vitam aeternam.

Digitized by Google

Oratio S. Bonaventurae [1].

Domine mi, quis es tu, et quis sum ego, ut praesumam te mittere in cloacam foetidam corporis mei et animae meae: ut quid me fecisti, ut tibi hanc iniuriam exsecrandam facerem? Mille enim lacrimarum anni et paenitentiae non sufficerent ad tam nobile Sacramentum digne semel percipiendum; quanto magis ego miser indignus sum, qui quotidie pecco, incorrigibilis persevero et impraeparate accedo. Sed in infinitum maior est misericordia tua quam mea miseria; unde de tua pietate confisus, te sumere praesumo.

Oratio S. Thomae [2].

Sit, Iesu dulcissime, sacratissimum Corpus tuum et Sanguis dulcedo et suavitas animae, salus et sanctitas in tentatione, gaudium

---

[1] Opusc. Mysticum 5.
[2] Opera tom. XXXII: Opuscula varia, in fine.

Digitized by Google

et pax omni tribulatione, lumen et virtus in omni verbo et operatione, et finalis tutela in morte.

Deinde lege Orationem S. Bernardi ex p. 32 sq.

Orationes ad petendam dignam receptionem.

Coelesti convivio fac nos, Domine, nuptiali veste indutos accumbere: quam beati Aloysii pia praeparatio, et iuges lacrimae inaestimabilibus ornabant margaritis [1].

Da nobis, clementissime Iesu, ut . . . caritatis igne succensi, digne in circuitu sacrae huius mensae tuae esse valeamus [2].

Gratiarum actio post Missam.

Primus modus.

(Ex Missali Romano.)

Antiphona. Trium puerorum cantemus hymnum: quem can-

[1] Secreta 21 Iun. [2] Secreta 4 Iun.

Digitized by Google

tabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum [1].

Quae antiphona in festis duplicibus duplicatur, et tempore Paschali additur in fine *Alleluia.*

Canticum trium puerorum.
Dn 3.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite caeli Domino.

Benedicite aquae omnes, quae super caelos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: benedicite stellae caeli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

---

[1] Indulg. unius anni sacerdotibus in gratiarum actione post Missam praeter *Canticum trium puerorum, Psalmum 150* cum *Antiph., vers.* et *orat. adnexis*, orationes S. Thomae et S. Bonaventurae recitantibus (Leo XIII, 20 Dec. 1884).

Digitized by Google

Benedicite ignis et aestus Domino: benedicite frigus et aestus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino: benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebrae Domino: benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite montes et colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete et omnia, quae moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres caeli Domino.

Benedicite omnes bestiae et pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Digitized by Google

Benedicat Israel Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animae iustorum Domino: benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedictus es, Domine, in firmamento caeli: et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in saecula.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in Sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

Laudate eum in sono tubae: laudate eum in psalterio et cithara.

Digitized by Google

Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri etc.

Antiphona. Trium puerorum (ut supra).

Deinde sacerdos dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.

R. Et Sancti tui benedicant tibi.

V. Exsultabunt Sancti in gloria.

R. Laetabuntur in cubilibus suis.

V. Non nobis, Domine, non nobis.

R. Sed nomini tuo da gloriam.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Da nobis, quaesumus, Domine, vitiorum nostrorum flammas exstinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIONES

post Celebrationem et Communionem dicendae.

Oratio S. Thomae de Aquino.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus,

Digitized by Google

qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso corpore et sanguine Filii tui Domini nostri Iesu Christi. Et precor, ut haec sancta communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio, caritatis et patientiae, humilitatis et obedientiae omniumque virtutum augmentatio: contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium, firma defensio; motuum meorum, tam carnalium quam spiritualium, perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhaesio atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu Sancto Sanctis tuis es lux vera,

Digitized by Google

satietas plena, gaudium sempiternum, iucunditas consummata et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio S. Bonaventurae.

Transfige, dulcissime Domine Iesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima caritate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui, te concupiscat et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem et omne delectamentum suavitatis: te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera ani-

Digitized by Google

mae meae: te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei: te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem: et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, iucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea et cor meum. Amen.

Digitized by Google

Rhythmus S. Thomae ad Ss. Eucharistiam [1].

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas;
Tibi se cor meum totum subicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur;
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro paenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor:
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam praestans homini:
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.

Pie pellicane, Iesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine:
Cuius una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

---

[1] Indulg. 100 dierum sacerdotibus Rhythmum post Missam recitantibus (Leo XIII, 20 Dec. 1884), item universis Christifidelibus eum post Communionem recitantibus (15 Iun. 1895).

Digitized by Google

Iesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio:
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

Utiliter his orationibus Missalis adduntur sequentes

Invocationes [1].

Anima Christi, sanctifica me.
Corpus Christi, salva me.
Sanguis Christi, inebria me.
Aqua lateris Christi, lava me.
Passio Christi, conforta me.
O bone Iesu, exaudi me.
Intra tua vulnera absconde me.
Ne permittas me separari a te.
Ab hoste maligno defende me:
In hora mortis meae voca me,
Et iube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te
In saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad Iesum crucifixum [2].

En ego, o bone et dulcissime Iesu, ante conspectum tuum ge-

[1] Pius IX concessit indulg. septem annorum semel in die, tum pro sacerdotibus eas post Missam, tum pro ceteris Christifidelibus eas post Communionem recitantibus (9 Ian. 1854).

[2] Indulg. plenaria lucranda ab omnibus Christifidelibus qui vere paenitentes, confessi sacraque communione refecti hanc orationem ante quamcumque SSmi Crucifixi imaginem devote recitaverint ac insuper per aliquod temporis spatium iuxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint (Pius IX,

Digitized by Google

nibus me provolvo ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritatis sensus atque veram peccatorum meorum paenitentiam eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere: dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero ac mente contemplor, illud prae oculis habens, quod iam in ore ponebat tuo David Propheta de te, o bone Iesu: *Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea* (Ps 21, 17 18).

Oratio ad Iesum.

Orationem hanc recitantibus Clemens Papa VIII remissionem omnium commissorum et omissorum in Missa concessit [1].

Obsecro te, dulcissime Domine Iesu Christe, ut passio tua sit mihi

---

31 Iulii 1858). Sufficit autem *(ore)* recitasse 5 vel 7 Pater noster et Ave Maria et Gloria Patri, iuxta opinionem communem (*Lehmkuhl,* Theol. mor. II, n. 681, c.).

[1] Ita testatur Giov. Morino in opusculo «Il Sacerdote Santificato» (Taurinii 1898), quod opu-

Digitized by Google

virtus, qua muniar, protegar atque defendar: vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar, inebrier atque delecter: aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum: mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exsultatio, sanitas et dulcedo cordis mei: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad beatam Virginem Mariam [1].

O Maria, Virgo et Mater sanctissima, ecce suscepi dilectissimum Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti atque suavissimis amplexibus strinxisti. Ecce, cuius aspectu laetabaris et omnibus deliciis replebaris, illum ipsum tibi humiliter et amanter repraesento et offero tuis brachiis constringendum, tuo

---

sculum approbatione munitum est. Insuper indulg. trium annorum sacerdotibus eam orationem post Missam recitantibus (Pius IX, 20 Dec. 1846).

[1] Indulg. 100 dierum sacerdotibus eam post Missam recitantibus (Leo XIII, 20 Dec. 1884).

Digitized by Google

corde amandum, sanctissimaeque Trinitati in supremum latriae cultum, pro tui ipsius honore et gloria et pro meis totiusque mundi necessitatibus offerendum. Rogo ergo te, piissima Mater, impetra mihi veniam omnium peccatorum meorum uberemque gratiam ipsi deinceps fidelius serviendi, ac denique gratiam finalem, ut eum tecum laudare possim per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad S. Ioseph [1].

Virginum Custos et Pater sancte Ioseph, cuius fideli custodiae ipsa Innocentia Christus Iesus et Virgo virginum Maria commissa fuit, te per hoc utrumque carissimum pignus Iesum et Mariam obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia praeservatum mente incontaminata, puro corde et casto corpore Iesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen.

---

[1] Indulg. 100 dierum semel in die omnibus Christifidelibus eam quovis tempore recitantibus (Pius IX, 4 Febr. 1877).

Digitized by Google

Oratio ad Sanctos.

O Sancti Dei omnes, qui in carne viventes sic Domino servistis, ut iam cum ipso sine fine regnetis, adeste mihi, quaeso, precibus meritisque vestris, ut panis ille caelestis et viaticum divinum, quod modo sumpsi, mihi contra omnes infirmitates, pericula et insidias praestet robur et tutamen, ut in fortitudine cibi illius ambulem per huius mundi desertum usque ad montem Dei, et ibidem dulcissima illius fruitione vobiscum iugiter gaudeam, et eum una vobiscum laudem per omnia saecula. Amen.

Oratio ad Sanctum, de quo lecta est Missa.

Sancte N., in cuius honorem incruentum corporis et sanguinis Christi sacrificium obtuli, fac tua potenti apud Deum intercessione, ut usu huius mysterii passionis et mortis eiusdem Christi, Salvatoris

Digitized by Google

nostri, merita consequar, ac cum illius frequentatione continuo crescat meae salutis effectus. Amen.

Orationes
S. Alphonsi Mariae de Liguori
pro singulis hebdomadae diebus [1].

Die Dominica.

Amantissime Iesu, Redemptor et Deus meus, adoro te praesentem in pectore meo sub speciebus panis et vini, quibus factus es cibus et potus animae meae.

Sit infinite benedictus adventus tuus ad animam meam, Deus meus, et pro tanto beneficio tibi ex intimo corde gratias ago, et doleo eo quod digne tibi grates rependere non valeo. Et quasnam dignas gratiarum actiones habere posset humilis villicus, si rustica in domo sua ab ipso suo rege se visitatum videret, nisi ad illius

[1] Indulg. 100 dierum sacerdotibus post Missam recitantibus orationem S. Alphonsi singulis hebdomadae diebus assignatam (Leo XIII, 20 Dec. 1884).

Digitized by Google

pedes se procumbere et tacito admirari et laudare tantam dignationem? Procido ergo coram te, o Rex divine, o Iesu dulcissime, teque adoro ex abysso vilitatis meae. Coniungo adorationem meam adorationi, quam tibi praestitit beatissima Virgo Maria, quando in uterum suum sacrosanctum te recepit, et quo ipsa te amavit amore, eodem te prosequi vellem.

O Redemptor amabilis, tu hodie verbis meis obediens, de caelo in manus meas descendisti: et ego, eheu! quoties praeceptis tuis inobediendo, te ingrato animo sprevi et gratiam et amorem tuum reieci! O bone Iesu, meorum veniam delictorum iam te mihi tribuisse confido; quod si culpa mea nondum mihi pepercisti, modo, quaeso, ignosce mihi, o bonitas infinita, nam te offendisse toto corde me paenitet.

Utinam, o Iesu, te semper amavissem! A die saltem, quo primam missam celebravi, unice

Digitized by Google

pro te amore flagrare debuissem. Tu ex millibus me in sacerdotem et amicum tuum elegisti; quid ultra facere debuisti, ut a me diligereris? Sed gratias ago tibi, quia tempus mihi praestas agendi, quod facere omisi. Ex toto corde meo te amare volo. Minime, nullum affectum in corde meo admittere volo nisi pro te, qui me tantis beneficiis ad te redamandum obstrinxisti.

Deus meus et omnia. O Deus meus, quid mihi divitiae? quid honores? quid mundi voluptates? Tu omnia mihi es. Tu solus eris deinceps unicum bonum, unicus amor meus. Dicam tibi cum S. Paulino: *Sibi habeant divitias suas divites, regna sua reges; mihi Christus gloria et regnum est.* Fruantur reges ac divites terrae regnis suis suisque divitiis; tu, o bone Iesu, divitiae meae et regnum meum mihi solus eris.

O Pater aeterne, per amorem huius Filii tui, quem hodie tibi

Digitized by Google

obtuli et in cor meum recepi, da, quaeso, mihi sanctam perseverantiam in gratia tua et donum tui sancti amoris. Tibi etiam commendo propinquos meos, amicos et inimicos; animas item purgatorii omnesque peccatores.

O Mater mea, Maria sanctissima, impetra mihi sanctam perseverantiam et Iesu Christi amorem.

Feria secunda.

O bonitas infinita! O caritas infinita! Deus mihi se totum dedit, factus est totus meus! Anima mea, convoca omnes affectus tuos, teque intime coniunge Domino tuo, qui dedita opera venit ad te, ut coniungatur tibi et redametur a te.

O Redemptor amabilis, amplector te, amor et vita mea, me tibi coniungo: noli me despicere. Hei mihi! quodam tempore vitae meae te reieci ex anima mea et me separavi a te; sed in posterum vitam meam millies ponere potius

Digitized by Google

volo, quam iterum amittere te, summum Bonum. Obliviscere, Domine, omnium iniuriarum, quibus te affeci, et mihi miseratus ignosce; toto corde me illarum paenitet et prae dolore mori vellem.

Quamvis autem in te peccaverim, mihi praecipis, ut amem te: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* O Domine mi, quis ego sum, ut a me diligi cupias? Quoniam hoc desideras, amore te prosequi volo. Tu pro me mortem subire voluisti et carnes tuas in cibum mihi dedisti, ego omnia relinquo, omnibus valedico et te solum, amantissime Salvator, amplector. *Quis me separabit a caritate Christi?*

O Redemptor amabilis, et quem alium diligere volo, nisi te, qui es infinita bonitas et infinito amore dignus? *Quid mihi est in caelo? et a te quid volui super terram? Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum.* Profecto qui-

Digitized by Google

dem, Deus meus, et ubinam, sive in caelo sive in terra, bonum te maius invenire possum, vel quis magis quam tu me dilexerit? *Adveniat regnum tuum.* O bone Iesu, sume, precor, hoc mane totius cordis mei dominium, illud ego tibi totum praebeo. Tu illud semper ac totum posside, et omnes affectus, qui non sunt ad te, ab eo repelle. Te solum in partem meam et in meas divitias eligo: *Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum.* Da, ut semper illud S. Ignatii a Loyola in ore habeam et petam: *Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis*: Da mihi amorem et gratiam tuam, fac videlicet, ut amem te et amer a te, et dives sum satis, nec amplius ultra desidero, nec aliud quaero.

Verumtamen tu scis infirmitatem meam, et quam saepe tibi infidelis exstiterim; adiuva ergo me gratia tua, nec umquam permittas me separari ab amore tuo

Digitized by Google

sancto. *Ne permittas me separari a te.* Hoc nunc tibi dico, semperque dicere volo, et idipsum tribue, ut repetere tibi semper queam: *Ne permittas, ne permittas me separari a te.*

O Virgo sanctissima, spes mea, Maria, impetra mihi a Deo hanc duplicem gratiam: sanctam perseverantiam et sanctum amorem; nihil amplius a te peto.

Feria tertia.

Ah! Domine mi, quomodo potui te multoties offendere, sciens quod peccando tibi summe displicebam? Per merita, quaeso, passionis tuae ignosce mihi, et vinculo amoris tui me tibi obstringe; non te separet a me foetor culparum mearum. Fac ut magis ac magis tuam bonitatem et amorem qui tibi debetur, et caritatem qua me dilexisti, semper agnoscam.

Cupio, bone Iesu, me totum pro te devovere, qui temetipsum pro

Digitized by Google

me in sacrificium offerre voluisti. Tu innumeris caritatis argumentis me tibi obstrinxisti; ne, quaeso, permittas me umquam separari a te. Amo te, Deus meus, teque semper diligere volo. Et quomodo a te disiunctus et sine gratia tua vivere potero, cum amorem tuum cognoverim?

Gratias ago tibi, quia me pertulisti, quando sine gratia tua vivebam, et quia tempus adhuc mihi praestas amandi te. Si tunc mihi supervenisset interitus, te amplius amare non possem. Quoniam vero adhuc te diligere possum, omnibus viribus te amare volo, dulcissime Iesu, tibique in omnibus placere peropto. Diligo te, o bonitas infinita, amo te plus quam me; et quia amo te, dono tibi corpus meum, animam meam ac totam voluntatem meam. Fac, Domine, et dispone de me iuxta beneplacitum tuum, in omnibus me tibi subicio. Dummodo mihi concedas, ut semper diligam te, nihil

Digitized by Google

aliud posco. Terrena bona da volentibus illa; non aliud ego desidero nihilque peto, nisi perseverantiam in gratia tua et sanctum amorem tuum.

Innixus ego, o Pater aeterne, Filii tui promissis: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (Io 16, 23), in nomine Iesu Christi peto a te sanctam perseverantiam et gratiam amandi te ex toto corde meo, perfecte faciendo deinceps voluntatem tuam. O Iesu, tu pro me victima factus es et mihi te ipsum dedisti, ut tradam tibi me ipsum, tibique immolem voluntatem meam; dicis enim: *Praebe, fili mi, cor tuum mihi* (Prv 23, 26). Ecce cor meum, Domine, ecce cor meum et animam meam, quam tibi dono et omnino pro te devoveo. Verum tu scis, Domine, infirmitatem meam: succurre mihi; ne permittas me hanc voluntatem meam a te recipere ad peccandum in te. Minime: noli hoc per-

Digitized by Google

mittere; da ut semper diligam te, fac ut amem te, quantum sacerdos te diligere debet; et quemadmodum Filius tuus in cruce moriens dicere potuit: *Consummatum est*, ita in morte mea dicere valeam, quod ex hac die mandata tua custodivi. Praesta, ut in omnibus tentationibus et periculis in te peccandi semper ad te recurram et auxilium tuum per merita Iesu Christi implorare non omittam.

O Maria sanctissima, quae omnia potes apud Deum, impetra mihi hanc gratiam, ut in tentationibus semper ad Deum et ad te confugiam.

Feria quarta.

O Iesu mi, video quanta operatus et passus es, ut mihi necessitatem imponeres amandi te, et ego tam ingratum me tibi probavi! Quoties ob vilem delectationem et desiderium nequam tuam gratiam commutavi et amisi te, o Deus animae meae! Creatura-

Digitized by Google

rum beneficia grata memoria sum prosecutus, tibi soli me ingratum praebui. Ignosce mihi, Deus meus; doleo eiusmodi ingrati animi crimen, et toto corde moereo, et veniam a te spero, cum sis infinita bonitas. Si tu bonitas infinita non esses, mihi desperandum foret nec amplius misericordiam tuam implorare auderem.

Tibi sint grates, amor meus, quia ad infernum, quem promerui, non me damnasti et tanto tempore me sustinuisti. Sola quidem patienta tua in me, Deus meus, ad amandum te trahere me deberet. Quis umquam me tolerare potuisset, nisi tu, qui es infinitae misericordiae Deus? Iam diu est, ex quo invitas me ad amandum te; nolo amplius resistere amori tuo; ecce me tibi totum dedo. Sufficit quantum in te peccavi, nunc te diligere volo. Amo te, o summum Bonum meum; diligo te, o bonitas infinita; amo te, Deus meus, qui es infinito amore

Digitized by Google

dignus, et semper repetere volo in tempore et in aeternitate: *Amo te, amo te, amo te.*

O Deus, et quot annos amisi, in quibus te diligere et in amore tuo progredi potuissem, et eos insumpsi ad peccandum in te! At sanguis tuus, o Iesu, spes mea est. Numquam, spero, te amare cessabo. Ignoro, quantum mihi vivendum supersit; residuum tamen vitae meae, sive breve sive longum sit, illud tibi totum consecro. Ad hunc finem hactenus exspectasti me. Volo quippe tibi complacere, volo te, amantissime Domine, semper amare, teque solum diligere volo. Quid mihi deliciae? Quid divitiae? Quid honores? Tu solus, Deus meus, tu es et semper eris amor meus et omnia.

Sed nihil possum, nisi tu adiuves me gratia tua. Vulnera, quaeso, cor meum, inflamma illud sancto amore tuo tibique totum coniunge, et ita coniunge, ut a te

Digitized by Google

numquam separari possit. Tu amare promisisti, qui te diligit: *Ego diligentes me diligo* (Prv 8, 17). Nunc amo te; parce audaciae meae, ama tu etiam me, et ne permittas me quidquam facere, quod impediat, quominus diligas me: *Qui non diligit, manet in morte* (1 Io 3, 14). Libera me ab ista morte, qua impediar, quominus amem te. Fac ut semper diligam te, ut semper tu queas amare me; et sic dilectio nostra aeterna sit, nec inter me et te amplius dissolvatur. Hoc praesta, Pater aeterne, per amorem Iesu Christi. Hoc ipsum concede, iucundissime Iesu, per merita tua, in quibus te semper a me et me semper a te amatum iri confido.

O Maria, Mater Dei, et mater mea, tu etiam deprecare Iesum pro me.

Feria quinta.

O Deus infinitae maiestatis, en proditor ad pedes tuos, qui tam

Digitized by Google

graviter in te deliquit! Tu multoties pepercisti peccatis meis, et ego, spretis beneficiis et praesidiis, quibus me donasti, iterum te iniuriis affeci. Ceteri peccaverunt in tenebris, ego autem in luce. Sed audi vocem huius Filii tui, quem modo tibi obtuli, et qui nunc est in pectore meo; ipse pro me misericordiam et veniam apud te implorat. Parce mihi, o bonitas infinita, per amorem Iesu Christi, quia te offendisse toto corde me paenitet.

Scio quod tu Iesu Christi amore peccatoribus placari delecteris: *Complacuit . . . per eum reconciliare omnia in ipsum* (Col 1, 19 20). Per amorem igitur Iesu Christi placare etiam mihi. *Ne proicias me a facie tua,* quamvis id merear; parce mihi et muta cor meum. *Cor mundum crea in me, Deus.* Hoc age ob honorem saltem tuum; quoniam elegisti me in sacerdotem et ministrum ad offerendum tibi ipsum Filium tuum,

Digitized by Google

fac me vivere sicut decet sacerdotem.

Exstingue, precor, et destrue in me tui amoris igne omnes terrenos affectus. Fac ut gratum deinceps me tibi probem pro tantis beneficiis mihi collatis et pro tanto amore, quo amasti me. Si olim amicitiam tuam sprevi, nunc eam magis aestimo quam cuncta mundi regna, et beneplacitum tuum omnibus divitiis ac caeli terraeque gaudiis antepono.

O Pater mi, per Iesu Christi amorem separa me ab omnibus rebus. Tu vis, ut sacerdotes tui ob omnibus, quae in mundo sunt, omnino segregati sint ac tibi soli et operibus gloriae tuae vivant: *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos* (Act 13, 2). Scio quod etiam id a me requiris, et hoc facere propono, sed tu adiuva me gratia tua. Trahe me totum ad te. In laboribus et in adversis mihi patientiam et voluntatis conforma-

Digitized by Google

tionem tribue. Concede mihi spiritum verae humilitatis, quo gaudeam me abiectum et imperfectum reputari. *Doce me facere voluntatem tuam*, et quod inde a me requiris, indica mihi: id enim exsequi volo. Recipe, Deus meus, ad amandum te peccatorem, qui in praeteritum nimis in te peccavit, sed nunc vere te diligere vult et esse omnino tuus. O Deus aeterne, spero te a me amatum iri in aeternum: et ideo volo etiam in hac vita te multum amare, ut multum te amare valeam in aeternitate.

Et quia amo te, ab omnibus te cognosci et amari desidero. Et ideo, Domine, quoniam fecisti me sacerdotem tuum, fac ut pro te laborem et saluti animarum incumbam. Haec omnia spero per merita tua, o Christe Iesu, et per tuam intercessionem, o Mater mea, Maria.

Feria sexta.

O Iesu! et quomodo potuisti me ex milibus in sacerdotem tuum

Digitized by Google

eligere? Me, qui toties tibi terga verti et pro nihilo gratiam tuam sprevi? Amantissime Domine mi, doleo ex tota anima mea de peccatis meis. Dicito mihi, remisistine peccata mea? Spero quidem. Fuisti quippe Redemptor meus non semel tantum, sed quoties mihi pepercisti. Ah, Salvator mi, utinam numquam te offendissem! Fac, obsecro, me sentire quod Magdalenae dixisti: *Remittuntur tibi peccata tua.* Fac ut sentiam me in gratiam tuam iam esse receptum, donans mihi magnum dolorem de peccatis meis. — *In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me, Domine Deus veritatis.* Oh! divine Pastor, tu de caelo descendisti ad inveniendum me, perditam ovem, et pro meo bono quotidie super altare descendis; posuisti vitam tuam, ut salvum me faceres: ne derelinquas me. In manus tuas commendo animam meam, suscipe clementer eam et ne permittas umquam separari a te.

Digitized by Google

Tu pro me totum sanguinem tuum fudisti: *Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* Nunc sis advocatus meus, non iudex; veniam pro me apud Patrem tuum implora; obtine mihi lumen et virtutem amandi te ex tota anima mea. Da residuum vitae meae sic transire, ut quum te iudicem aspexero, mihi te placatum videam.

Regna, quaeso, amore tuo in corde meo; fac ut sim totus tuus; et ideo, Salvator amabilis, revoca mihi semper in memoriam amorem quo me dilexisti, et quanta operatus et passus sis, ut me salvares et amareris a me. Ad hoc me sacerdotem fecisti, ut nihil diligam praeter te.

Iesu mi, volo quippe tibi complacere; ego diligo te et nihil aliud diligere volo praeter te. Fac me humilem et patientem in laboribus huius vitae, mansuetum in humiliationibus, a terrenis deliciis abhorrentem, et a creaturis abstrac-

Digitized by Google

tum, et praesta, ut a corde meo eiciam omnes affectus, qui non sunt ad te. Haec omnia a te imploro et spero per merita passionis tuae. O Iesu iucundissime, amabilis Iesu, *o bone Iesu, exaudi me.*

O Mater mea et spes mea, Maria, tu quoque exaudi me et ora Iesum pro me.

Sabbato.

Loquere, Domine, quia audit servus tuus (1 Rg 3, 10). O Iesu amantissime, tu venisti etiam hoc mane ad visitandam animam meam: ex intimo corde tibi gratias ago. Quoniam venisti ad me, loquere, quaeso, et dicto mihi quid velis a me, quia omnia facere volo. Non mereo quod ultra mihi loquaris, eo quod vocem tuam audire persaepe recusavi, qua me vocabas ad amorem tuum, et ingratus tibi terga verti. Verum de peccatis meis iam paenitentiam egi, nunc iterum me illorum paenitet

Digitized by Google

et veniam a te iam obtinuisse confido. Dic ergo mihi, quid me vis facere, sum enim paratus ad omnia.

Utinam, Deus meus, te semper amassem. Hei mihi! quot annos amisi! At sanguis tuus et promissiones tuae spem mihi afferunt reparandi tempus amissum, te solum deinceps amando tibique placendo.

Amo te, Redemptor meus, amo te, Deus meus, ad nihil aspiro nisi ad amandum te ex toto corde meo et ad vitam ipsam ponendam pro amore tui, qui amore mei mortem subire voluisti. *Amore amoris tui,* dicam tibi cum S. Francisco, *moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.*

Tu, Iesu, mihi totum te ipsum dedisti: dedisti tuum sanguinem, vitam, omnes sudores tuos, omnia merita tua; plus dare non habuisti; ego me totum tibi dono: dono tibi omnes delectationes meas, omnes saeculi delicias, corpus meum, animam, voluntatem: plus tibi dare non habeo; si plus haberem, plus

Digitized by Google

tibi darem. Iucundissime Iesu, tu mihi sufficis.

Fac tamen, Domine, ut sim tibi fidelis; ne permittas me, mutata voluntate, derelinquere te. Spero per merita passionis tuae, Salvator mi, id mihi numquam obventurum. Tu dixisti: *Nullus speravit in Domino, et confusus est* (Eccli 2, 11). Tota igitur fiducia dicere possum et ego: *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.* Spero, o Deus animae meae, et semper volo sperare numquam confusionem passurum videndi me separatum a te. *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.*

Deus meus, tu omnipotens es, effice me sanctum. Fac ut multum diligam te, fac ut nihil praetermittam, quod redundet in gloriam tuam, et omnia vincam, ut tibi complaceam. Me beatum, si omnia perdam, ut solum te et amorem tuum inveniam! Ad hunc finem vitam tribuisti mihi, fac ut eam operibus gloriae tuae omnino im-

Digitized by Google

pendam. Non mereor beneficia, sed poenas; ideo deprecor te, ut punias me sicut vis, dummodo gratiam tuam non auferas a me. Sine mensura amasti me, o caritas infinita, o infinita bonitas, sic amo et amabo te. O voluntas Dei! tu es amor meus. O Iesu mi! tu mortuus es pro me: utinam ego etiam mori possem pro te et morte mea efficere, ut omnes ament te. O bonitas infinita et infinite amabilis! ego te maximi facio et super omnia diligo te.

O Maria! trahe me totum ad Deum; da mihi fiduciam in te, et fac ut semper ad te confugiam; intercessione tua sanctum me reddere debes: ita spero. Amen.

Secundus modus gratiarum actionis.

(Orationes Card. Bona, Tractatus de Sacrificio Missae, in fine.)

Actus amoris.

Amo te, Domine Iesu, iucunditas mea et requies mea; amo

Digitized by Google

te, summum et unicum bonum meum, ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus meis; et si tu vides me in hoc deficere, saltem desidero amare te; et si satis id non opto, saltem desidero id multum desiderare. Succende, Domine, igne tuo ardentissimo viscera mea, et quandoquidem non nisi amorem petis a me, da quod iubes, et iube quod vis. Nisi enim dederis mihi velle et perficere, peribo utique in infirmitate mea. Sonet vox tua in auribus meis, vox illa dulcissima et efficacissima: Volo. Nam si vis, potes me mundare et illuminare; potes me ad supremum amoris gradum elevare. Sicut voluisti pro me pati et mori, ita etiam velis, ut appareat in me fructus passionis et mortis tuae. Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti; tu enim dixisti: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. O dul-

Digitized by Google

cissimum Verbum, tu in me et ego in te! O quantus amor, tu in vilissimo peccatore et ego in te, Deus meus, cuius maiestas incomprehensibilis est! Unum est mihi necessarium, et hoc solum quaero: in te vivere, in te quiescere, a te numquam separari. Felix est qui te quaerit, felicior qui te possidet, felicissimus qui in hac possessione perseverat et moritur. O dies infelices, quos turpiter transegi diligens vanitatem et recedens a te! Et nunc, Domine, qui venisti in hunc mundum, ut peccatores salvos faceres, redime animam meam in sola fiducia miserationum tuarum respirantem, et aufer a me omnia amoris tui impedimenta. Procul sit a me omnis terrena delectatio, nihil sapiat mihi, nihil me alliciat, nisi tu. Vive et regna semper in me, fidelissime amator animae meae; in te enim sunt omnia bona, et iam deinceps paratus sum omnia potius mala perpeti, quam ut umquam cessem

Digitized by Google

amare te. O corpus sacratissimum, quinque vulneribus sauciatum! pone te ut signaculum super cor meum et imprime illi caritatem tuam. Obsigna pedes meos, ut sequar vestigia tua; obsigna manus, ut bona semper opera exerceam; obsigna latus, ut ferventissimos amoris tui actus proferam in aeternum. O sanguis pretiosissime, qui omnem hominem abluis et purificas! lava animam meam et pone signum in faciem meam, ut nullum praeter te amatorem admittam. O dulcedo cordis mei et vita animae meae! sicut tu in Patre et Pater in te est, ita ego per gratiam tuam unus tecum sim amore et voluntate, mihique mundus crucifixus sit et ego mundo. Amen.

Gratiarum actio.

Gratias tibi ago, benignissime Deus, quod me vilissimum peccatorem admittere dignatus sis ad vivificum tuae mensae convivium.

Digitized by Google

Et quis sum ego pulvis et cinis, ut apponeres erga me cor tuum, inclinans caelos tuos et descendens, ut sanguine tuo purissimo sordes meas lavares, et deficientem prae fame animam meam, non manna de caelo, sed carne tua immaculata reficeres et satiares? Si caeli caelorum te capere non possunt et Angeli non sunt mundi in conspectu tuo, quis ego sum, et quae domus mea, ut ad me venire et indignis manibus meis contrectari ac in me commorari volueris? Quid in me invenisti, Rex tremendae maiestatis, quod a templo gloriae tuae traheret te et descendere faceret in abyssum miseriarum? Vos, Angeli sancti, vos omnes electi Dei, venite, audite, et narrabo vobis, quanta fecit Deus animae meae; cum enim essem pauper et abominabilis nec auderem oculos meos levare ad caelum prae multitudine iniquitatum mearum, ille me de pulvere suscitavit, erexit de stercore, ut

Digitized by Google

sederem cum principibus et de mensa eius comederem omnibus diebus vitae meae. Gratias illi agite ex me, vos amici mei fidelissimi; ego enim puer sum, non annis, sed sensu, et nescio loqui nec verba invenio quibus possim, ut par est, tam copiosum munus gratiae extollere et praedicare. Quis enim amor infinitae caritati eius a me reddi potest, qui frigus et gelu dici, non autem amor mereatur? Quae laus, quae adoratio, quale obsequium meum erit, quod nullum non reddat infinita eius perfectio et dignitas et ima ac summa indignitas mea? Sed tu, Domine, miserator et immensae bonitatis, tu nosti figmentum meum, non despicies humillimam gratiarum actionem, quam tibi offero de paupertate mea, et sacrificium laudis meae honorificabit te. Tua est magnificentia, tua est gloria, et tibi laus in perpetuas aeternitates pro tam excelso et incomparabili beneficio.

Digitized by Google

Tibi laudes concinant, tibi mecum gratias agant universi populi, tribus et linguae, omnes Angeli et Sancti tui, quoniam misericordia tua magnificata est super me, et miserationes tuae super omnia opera tua. Iubilent tibi omnes creaturae, quaecumque caeli, terrae et abyssi ambitu continentur, et laudem tibi perpetuam dicant; quae a te exiens, in te refluat omnium rerum principium et finem. Iubilent tibi et gratias agant cor meum et anima mea, vires, sensus, potentiae et omnia membra corporis mei; tibique soli honor et gloria, a quo, per quem et in quo omnia; qui es Deus benedictus et laudabilis in saecula saeculorum. Amen.

Oblatio post Missam.

Servus tuus ego sum, Domine Deus meus, et pro tributo servitutis meae aliquid tibi offerre vellem, quod maiestate tua dignum et acceptabile foret: sed excedit omnem facultatem meam debitum

Digitized by Google

meum, quia tantum tibi debeo, quanti tu vales, qui infinitus es. Et ex me quidem nihil possum, nihil sum; habeo tamen ex gratia tua donum praeclarissimum, quod nullo modo recusare potes: habeo dilectissimum Filium tuum Dominum meum Iesum Christum, qui ita se mihi communicavit, ut ego in illo et ille in me sit. Quare verba Prophetae tui aptissime usurpabo et dicam: *Benedic anima mea Domino: et omnia quae intra me sunt, nomini sancto eius.* Ipse enim Filius tuus digne pro me nomini tuo benedicet, teque amabit et glorificabit, nam intra me sacramentaliter exsistens factus est unum mecum et ego unum cum illo. Illum igitur offero tibi velut thymiama suavissimi odoris ad maximam tui gloriam et honorem, in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis; in remissionem peccatorum meorum et totius mundi, ad impetrandum mihi et omnibus, pro quibus oravi

Digitized by Google

et orare debeo, omnia subsidia vitae temporalis et aeternae, et pro animabus omnium fidelium defunctorum. Suscipe, Domine, cum hac sacratissima oblatione animam meam et corpus meum, omnes vires et affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum iugiter ardens Maiestati tuae. Praesta, ut deinceps nec membra, nec sensus, nec potentias, nec vitam habeam, nisi ut te amem et serviam tibi. Tu sapientia mea, tu lux mea es; tu fortitudo mea et robur meum: doce me, illumina me, corrobora me, ut cognoscam et faciam voluntatem tuam. Offero me tibi in servum perpetuum, meque totum resigno in beneplacitum tuum, abiecta de me omni cura et sollicitudine. Quidquid mihi evenire permiseris, a divina manu tua amantissime suscipiam. In tempore et in aeternitate id volo, quod tu ab aeterno de me decrevisti, sive prosperum illud sit, sive adversum. Vivat semper et

Digitized by Google

regnet super me beneplacitum tuum, quod in omni verbo, actione, cogitatione et levissimo quoque motu implere desidero. Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Desunt enim mihi verba, quibus explicem affectum meum, sed proicio me in ardentissimam fornacem amoris tui, quo succensus ad me venire dignatus es et mansionem apud me facere. Succende me, Domine, inflamma cor meum, viscera combure, ut iugiter tibi ardeam, in te vivam et in te moriar. Amen.

Petitiones post Missam.

Dulcissime Amator, Domine Iesu Christe, qui me corpore tuo immaculato et pretiosissimo sanguine refecisti, ignosce, obsecro, indignitati meae, et quidquid deliqui in huius Missae celebratione, misericorditer indulge. Agnosco enim et confiteor praesumptionem meam, quia ad hoc tremendum

Digitized by Google

mysterium accedere ausus sum sine debita praeparatione, reverentia, humilitate et caritate. Respice in me oculis misericordiae tuae et supple excessu meritorum tuorum meam nimiam imperfectionem. Heu quoties venisti ad me, ut pauperrimam animam meam donis tuis locupletares! Ego autem contempsi te et abii in regionem dissimilitudinis post prava desideria cordis mei. Cumque inutiliter dissipata omni substantia, ad te nudus et fame consumptus reversus sum, tu suscepisti me, et omnium iniquitatum mearum oblitus es. Bonum mihi, quod amasti me amore aeterno et infinito: nisi enim infinita esset bonitas tua, nullo modo posses tolerare miseriam meam. Vincat igitur et absorbeat bonitas tua malitiam meam. Riga me lacrimis, quas fudisti pro me; unge me myrrha doloris tui, astringe vinculis, ablue sanguine, cruce erige, morte vivifica. Penetret amor tuus viscera mea et omnem

Digitized by Google

alienum amorem expellat. Abscedat phantasmatum multitudo, meque totum in te transforma, ut in te pereat omnis substantia mea, meque amplius non inveniam nisi in te. Imprime cordi meo amorem crucis et humiliationis, qui, ut me redimeres, nec uno quidem momento sine cruce esse voluisti. Ne patiaris me sine fructu a te recedere, sed operare mecum mirabilia tua, sicut cum sanctis tuis operatus es: et fac me ambulare in fortitudine cibi istius usque ad montem perfectionis. Succende me ignita vi amoris tui, ut sim tecum consummatus in unum, omnino abstractus a me ipso et ab omni creatura. Omnibus quoque famulis tuis, pro quibus obtuli hoc sacrificium et pro quibus orare debeo seu tu rogari vis, da pacem, salutem et tuam benedictionem. Converte miseros peccatores ad te, revoca haereticos atque schismaticos, illumina infideles te ignorantes. Adesto omnibus qui in

Digitized by Google

aliqua necessitate et tribulatione constituti sunt. Esto propitius propinquis et benefactoribus meis. Miserere omnium adversantium mihi vel qui me aliqua molestia affecerunt. Succurre illis, qui se meis precibus commendarunt. Da vivis veniam et gratiam; da fidelibus defunctis lucem et requiem sempiternam. Amen.

Actus petitionis.

Liberalissime Iesu, qui prodigioso amoris conatu te totum dedisti mihi, corpus tuum, animam et divinitatem tuam, quid mihi iam supplicanti denegare posses? Ideo non dimittam te, nisi benedixeris mihi.

Indulge ergo, obsecro, quidquid negligentia, praecipitatione aut quovis alio modo deliqui in huius Missae celebratione.

Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit, mecum ambulet et mecum laboret omnibus diebus vitae meae.

Digitized by Google

Da mihi, Rex Virginum et amator castitatis, donum perfectae continentiae, ut casto corpore et pura mente tibi servire valeam.

Da mihi amorem pariter et timorem nominis tui, ut te in omnibus et super omnia diligens, inter mundanas varietates et huius vitae tentationes ibi fixum sit cor meum, ubi est verum gaudium.

Da mihi iniuncti ministerii vices ad maiorem nominis tui gloriam, mei et proximi salutem exacte et fideliter replere. Amen.

(Hucusque omnia ex Op. Card. Bona.)

Sacrosanctae et individuae Trinitati, crucifixi Domini nostri Iesu Christi humanitati, beatissimae et gloriosissimae semperque Virginis Mariae fecundae integritati, et omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus et gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita saecula saeculorum.

R. Amen.

Digitized by Google

V. Beata viscera Mariae Virginis, quae portaverunt aeterni Patris Filium.

R. Et beata ubera, quae lactaverunt Christum Dominum.

Pater noster. Ave Maria[1].

Oratio pro felici morte per intercessionem S. Barbarae.

O Domine, qui sanctam Barbaram elegisti in solamen vivorum et morientium, concede nobis per eius intercessionem, ita semper in tuo divino amore vivere et omnem spem in meritis .dolorosissimae passionis Filii tui ponere, ut numquam peccati mors improviso nos occupet, utque sanctis paenitentiae, Eucharistiae et extremae Unctionis sacramentis muniti, sine timore ad gloriam aeternam procedere valeamus. Id a te supplices ex-

---

[1] Pius X 21 Iul. 1909 pro Sacerdotibus «Foederis Sanctitatis Sacerdotalis» concessit indulg. omnium defectuum et culparum in litando ex humana fragilitate commissarum, si post S. Missam orationem *Sacrosanctae*, cum *V.* et *R.*, Pater noster, Ave flexis genibus recitaverint. Cf. p. 59.

Digitized by Google

oramus per eumdem Dominum Iesum Christum [1].

Oratio S. Thomae, qua virtutes christiani hominis petuntur [2].

Concede mihi, misericors Deus, quae tibi sunt placita ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere, ad laudem et gloriam nominis tui. Ordina, Deus meus, statum meum; et quod a me requiris ut faciam, tribue ut sciam; et da exsequi, sicut oportet et expedit animae meae.

Da mihi, Domine Deus meus, inter prospera et adversa non deficere, ut in illis non extollar et in istis non deprimar. De nullo gaudeam vel doleam, nisi quod ducat ad te, vel abducat a te. Nulli placere appetam vel displicere timeam, nisi tibi.

---

[1] Indulg. 100 dierum semel in die (Leo XIII, 21 Mart. 1879).

[2] Indulg. 3 annorum, semel in die (Leo XIII, 17 Ian. 1888).

Digitized by Google

Vilescant mihi, Domine, omnia transitoria, et cara mihi sint omnia aeterna. Taedeat me gaudii quod est sine te, nec aliud cupiam quod est extra te. Delectet me, Domine, labor qui est pro te; et taediosa sit mihi omnis quies quae est sine te.

Da mihi, Deus meus, cor meum ad te dirigere et in defectione mea cum emendationis proposito constanter dolere.

Fac me, Domine Deus meus, obedientem sine contradictione, pauperem sine deiectione, castum sine corruptione, patientem sine murmuratione, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, maturum sine gravedine, agilem sine levitate, timentem te sine desperatione, veracem sine duplicitate, operantem bona sine praesumptione, proximum corripere sine elatione, ipsum aedificare verbo et exemplo sine simulatione.

Da mihi, Domine Deus, cor pervigil, quod nulla abducat a te

Digitized by Google

curiosa cogitatio; da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio; da firmum, quod nulla frangat tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vindicet violenta affectio.

Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam fidenter te exspectantem et fiduciam te finaliter amplectentem. Da tuis poenis hic affligi per poenitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam. Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio Clementis Papae XI.

Credo Domine! sed credam firmius. Spero Domine! sed sperem securius. Amo Domine! sed amem

Digitized by Google

ardentius. Doleo Domine! sed doleam vehementius.

Adoro te, ut primum principium: desidero, ut finem ultimum: laudo, ut benefactorem perpetuum: invoco, ut defensorem propitium.

Tua me sapientia dirige: iustitia contine: clementia solare: potentia protege.

Offero tibi Deus cogitanda, ut sint ad te: dicenda, ut sint de te: facienda, ut sint secundum te: ferenda, ut sint propter te.

Volo, quod vis: volo, quia vis: volo, quomodo vis: volo, quamdiu vis.

Oro Domine! intellectum illumines: voluntatem inflammes: corpus emundes: animam sanctifices.

Defleam praeteritas iniquitates: repellam futuras tentationes: corrigam vitiosas propensiones: excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi bone Deus amorem tui: odium mei: zelum proximi: contemptum mundi.

Digitized by Google

Studeam superioribus obedire : inferioribus subvenire : amicis consulere : inimicis parcere.

Vincam voluptatem austeritate : avaritiam largitate : iracundiam lenitate : tepiditatem pietate.

Redde me prudentem in consiliis : constantem in periculis : patientem in adversis : humilem in prosperis.

Fac Domine, ut sim in oratione attentus : in epulis sobrius : in munere sedulus : in proposito firmus.

Curem habere innocentiam interiorem : modestiam exteriorem : conversationem exemplarem : vitam regularem.

Naturae invigilem domandae : gratiae fovendae : legi servandae : saluti promerendae.

Discam a te, quam tenue, quod terrenum : quam grande, quod divinum : quam breve, quod temporaneum : quam durabile, quod aeternum.

Digitized by Google

Da, mortem praeveniam : iudicium pertimeam : infernum effugiam : paradisum obtineam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Tertius modus gratiarum actionis.

(Variae orationes.)

Oratio S. Thomae Aquinatis.

Ineffabilem misericordiam tuam, Domine Iesu Christe, humiliter exoro, ut hoc Sacramentum Corporis et Sanguinis tui, quod indignus suscepi, sit mihi purgatio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit impetratio veniae, sit stabilimentum gratiae, sit medicina vitae; sit memoria tuae Passionis, sit contra debilitatem fomentum; sit viaticum meae peregrinationis. Euntem me conducat, errantem me reducat, revertentem me suscipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat, et perseverantem me in glo-

Digitized by Google

riam introducat. O altissime Deus, beatissima praesentia Corporis et Sanguinis tui, sic immutet palatum cordis mei, ut, praeter te, nullam umquam sentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullam desideret consolationem, nullum quaerat illicitum amorem, nullam admittat umquam delectationem, nullum curet honorem, nullam timeat crudelitatem. Amen.

Aspirationes S. Francisci Xaverii.

O Deus, ego amo te!
Nec amo te, ut salves me;
Aut quia non amantes te,
Aeterno punis igne.
Tu, tu, mi Iesu, totum me
Amplexus es in cruce;
Tulisti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores et angores,
Ac mortem, et haec propter me,
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem te,
O Iesu amantissime!
Non, ut in caelo salves me,
Aut ne aeternum damnes me,
Nec praemii ullius spe;

Digitized by Google

Sed sicut tu amasti me,
Sic amo et amabo te,
Solum quia rex meus es,
Et solum quia Deus es.

Oratio ad B. Virginem [1].

Respice in me, gloriosissima Virgo Maria, quia dignum obiectum oculorum tuorum nunc factus sum. Loquere pro me bona dilectissimo Filio tuo, qui me Corpore et Sanguine suo suavissime refecit, et offer ei merita tua in supplementum imperfectionis meae. Gratias age ei pro me, et impetra mihi, ut sacramentali sua praesentia non discedat a me, nisi relinquat post se animae meae et corpori meo largissimam benedictionem.

Petitiones S. Augustini [2].

Domine Iesu, noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam nisi te.

---

[1] Oratio Card. Bona.
[2] Indulg. 50 dierum semel in die (Leo XIII, 25 Sept. 1883).

Digitized by Google

Oderim me et amem te;
Omnia agam propter te.
Humiliem me, exaltem te;
Nihil cogitem nisi te,
Mortificem me et vivam in te:
Quaecumque eveniant accipiam a te;
Persequar me et sequar te
Semperque optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te
Ut merear defendi a te.
Timeam mihi, timeam te
Et sim inter electos a te.
Diffidam mihi, fidam in te.
Obedire velim propter te.
Ad nihil afficiar nisi ad te
Et pauper sim propter te.
Aspice me, ut diligam te.
Voca me ut videam te
Et in aeternum fruar te. Amen.

Oratio S. Augustini ad B. V. Mariam.

O sacratissima, o serenissima et inclyta Virgo Maria, Mater Domini nostri Iesu Christi, Regina caeli et terrae, quae eumdem Creatorem omnium creaturarum in tuo sancto utero digna fuisti portare, cuius idem veracissimum Corpus et Sanguinem ego indignus sumere praesumpsi; rogo te per virginalem humilitatem tuam et per passionem

Digitized by Google

et mortem eiusdem Filii tui, ut apud ipsum pro me misero peccatore intercedere digneris, ut quidquid in eius sacrificatione[1] benedictissima ignoranter, negligenter, vel incaute commisi, aut etiam omisi, tuis sanctissimis precibus mihi dignetur indulgere. Amen.

Orationes ex Missali Romano.

Pro digna gratiarum actione.

Repleti, Domine, muneribus sacris: da, quaesumus, ut in gratiarum semper actione maneamus[2].

Sumptis muneribus, quaesumus Domine ut cum frequentatione mysterii tui, crescat nostrae devotionis affectus[3].

De S. Spiritu.

Sancti Spiritus, Domine, corda nostra mundet infusio: et sui roris intima aspersione fecundet[4].

---

[1] Qui nondum Sacerdos est, legat «praeparatione et gratiarum actione».

[2] Postcomm. Dom. infra Oct. Ascens.

[3] Postc. Dom. IV Adv. Imitat. Christi 4, 4.

[4] Postc. e Missa votiva de Spir. S.

Digitized by Google

De B. Virgine.

Sumptis, Domine, salutis nostrae subsidiis: da, quaesumus, beatae Mariae semper Virginis patrociniis nos ubique protegi; in cuius veneratione haec tuae obtulimus maiestati [1].

De S. Ioseph.

Divini muneris fonte refecti, quaesumus, Domine Deus noster: ut, sicut nos facis beati Ioseph protectione gaudere; ita eius meritis et intercessione, caelistis gloriae facias esse participes [2].

Pro bona morte.

Quaesumus clementiam tuam, omnipotens Deus, ut per huius virtutem Sacramenti nos famulos tuos gratia tua confirmare digneris: ut in hora mortis nostrae non praevaleat contra nos adversarius; sed

---

[1] Postc. e Missa votiva B. M. V. extra Adv.
[2] Postc. e Festo Patroc. S. Ios.

Digitized by Google

cum Angelis tuis transitum habere mereamur ad vitam [1].

Pro concordia servanda.

Spiritum nobis, Domine, tuae caritatis infunde: ut, quos uno pane caelesti satiasti, tua facias pietate concordes [2].

Pro castitate.

Domine, adiutor et protector noster, adiuva nos: et refloreat cor et caro nostra vigore pudicitiae, et castimoniae novitate; ut per hoc sacrificium, quod tuae obtulimus pietati [3], ab omnibus tentationibus emundemur [4].

Pro humilitate.

Huius, Domine, sacramenti perceptio, peccatorum nostrorum maculas abstergat: et nos per humilitatis exhibitionem ad caelestia regna perducat [5].

---

[1] Postc. e Missa ad postul. grat. bene moriendi.
[2] Orat. ad diversa n. 9, Postc.
[3] Qui non est sacerdos, dicat «per hanc communionem, quam sumpsimus».
[4] Orat. ad diversa n. 26, Postc.
[5] Ibid. n. 27, Postc.

Digitized by Google

Pro Papa et Ecclesia.

Haec nos, quaesumus, Domine, divini sacramenti perceptio protegat: et famulum tuum . . . quem pastorem Ecclesiae tuae praeesse voluisti; una cum commisso sibi grege, salvet semper et muniat[1].

Pro familia.

Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam: et toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis[2].

Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum: multiplica super nos misericordiam tuam; ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna[3].

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatae Mariae semper

---

[1] Ibid. n. 4, Postc.
[2] Ibid. n. 8, Collecta.
[3] Collecta Dom. III p. Pentec.

Digitized by Google

Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia [1].

Pro amicis.

Miserere, quaesumus Domine, famulis et famulabùs tuis, . . . ut per haec sancta supernae benedictionis gratiam obtineant, et gloriam aeternae beatitudinis acquirant [2].

Pro infirmis.

Deus, infirmitatis humanae singulare praesidium: auxilii tui super infirmos famulos tuos ostende virtutem; ut ope misericordiae tuae adiuti, Ecclesiae tuae sanctae incolumes repraesentari mereantur [3].

Pro inimicis.

Haec nos communio, Domine, eruat a delictis: et ab inimicorum defendat insidiis . . . eisque indulgentiam tribue delictorum [4].

---

[1] Collecta e Missa votiva B. M. V. extra Adv.
[2] Orat. ad diversa n. 30, Secreta.
[3] Postc. e Missa pro infirmis.
[4] Orat. ad div. n. 31, Postc. (et Secreta).

Digitized by Google

Pro quacumque tribulatione.

Tribulationem nostram, quaesumus, Domine, propitius respice: et iram tuae indignationis, quam iuste meremur, averte [1].

Pro patre, matre vel proximis defunctis.

Caelestis participatio Sacramenti, quaesumus Domine, animabus (animae) patris (et) matris meae (fratris, sororis etc.) requiem et lucem obtineat perpetuam; . . . meque eos in aeternae claritatis gaudio fac videre [2].

Pro omnibus defunctis.

Animabus, quaesumus Domine, famulorum famularumque tuarum oratio proficiat supplicantium: ut eas et a peccatis omnibus exuas, et tuae redemptionis facias esse participes [3].

---

[1] Ibid. n. 13, Postc.
[2] Orat. div. pro Def. n. 7, Postc. (et Collecta).
[3] Postc. e Missa pro Def.

Digitized by Google

Pars II.

Preces matutinae et vespertinae.

1. Preces matutinae.

«Cum mane fuerit, cogita te ad vesperum non perventurum.» [1]

«Omni die renovare debemus propositum nostrum, et ad fervorem nos excitare, quasi hodie primum ad conversionem venissemus, atque dicere: Adiuva me, Domine Deus, in bono proposito, et sancto servitio tuo: et da mihi nunc hodie perfecte incipere, quia nihil est, quod hactenus feci.» [2]

Hymnus [3].

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.

---

[1] Imitatio Christi 1, 23.

[2] Ibid. 1, 19.

[3] Singula vice 100 dies, et infra Oct. Pentecostes 300 dies. Semel in mense indulg. plenaria die ad libitum (Pius VI, 26 Maii 1796).

Digitized by Google

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, caritas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria [1],
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur. (Alleluia.)

℟. Et renovabis faciem terrae. (Alleluia.)

---

[1] Ita concludendum per totum annum (S. R. Congr. Decr. 20 Iunii 1899).

Digitized by Google

Oremus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Gratiarum actio.

Benedicta sit Sancta Trinitas atque indivisa Unitas; confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Gratias tibi agimus, Sanctissima Trinitas, pro custodia in hac nocte, et incolumitate misericorditer nobis praestita, et pro ceteris collatis beneficiis: da, quaesumus, ut semper in digna gratiarum actione vivamus.

Actus oblationis [1].

Aeterne Deus, en ego ante immensam Maiestatem tuam genibus

[1] Indulg. 100 dierum semel in die, et plenaria semel in mense (Pius IX, 6 Sept. 1867).

Digitized by Google

me provolvo, et humiliter te adorans offero tibi omnes cogitationes meas, verba et opera huius diei, et intendo omnia facere pro amore tuo, pro gloria tua, pro adimplenda divina tua voluntate, ut certam faciam salutem meam, et sperem in misericordia tua, ut satisfaciam divinae iustitiae tuae pro gravissimis omnibus peccatis meis, ut subveniam sanctis animabus in purgatorio detentis, ut verae conversionis gratiam omnibus peccatoribus impetrem. Intendo denique omnia facere in unione purissimarum intentionum, quas habuerunt in hac vita Iesus et Maria, et omnes Sancti, qui sunt in caelo, et iusti, qui sunt in terra; et vellem sanguine meo subscribere hanc intentionem meam, eamque repetere tot vicibus omni momento, quot erunt momenta totius aeternitatis. Accipe, iucundissime Deus, meam hanc bonam voluntatem; et da mihi tuam sanctam benedictionem cum tali efficaci gratia,

Digitized by Google

ut toto tempore vitae meae numquam mortale peccatum committam, praesertim vero hac die, in qua *desidero et intendo consequi omnes indulgentias, quarum capax esse possum,* ac omnibus Missis assistere, quae hodie in universo mundo celebrabuntur, quas omnes applicare intendo in suffragium sanctarum animarum purgatorii, ut ab illis poenis liberentur. Amen.

Actus unionis intentionis cum S. Corde [1].

Domine Iesu Christe, in unione illius divinae intentionis, qua ipse in terris per sanctissimum Cor tuum laudes Deo persolvisti et nunc continenter in Eucharistiae sacramento ubique terrarum persolvis usque ad consummationem saeculi, ego per hanc diem integram, nulla nec minima quidem parte excepta, ad imitationem sacratissimi Cordis beatae Mariae

[1] Indulg. 100 dierum semel in die (Leo XIII, 19 Dec. 1885).

Digitized by Google

semper Virginis Immaculatae, tibi libentissime offero omnes meas intentiones et cogitationes, omnes meos affectus et desideria, omnia mea opera et verba.

Actus fidei, spei, caritatis [1].

Mi Deus, credo quidquid sancta Ecclesia mihi credendum proponit, quia tu, veritas falli et fallere nescia, id revelasti. Credo te existere et esse unum in essentia et trinum in personis, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Credo Dei Filium hominem factum atque in cruce mortuum esse pro nostra salute. Credo te aeternum remunerare iustos paradiso, punire autem peccatores inferno. Credo

---

[1] Indulg. 7 annorum et 7 quadragenarum toties quoties; plenaria semel in mense die ad libitum; plenaria in articulo mortis pro iis, qui frequenter in vita sua hos actus recitaverint. Declaravit Benedictus XIV, has indulgentias acquiri posse per quascumque formulas, et non esse alligatas determinatae formulae, modo illae formulae exprimant motiva specialia cuiusque virtutis theologicae. Non tamen sufficiunt actus mere interni (Benedictus XIII, 15 Ian. 1728; Benedictus XIV, 28. Ian. 1756).

Digitized by Google

demum quodcumque credit sancta Mater Ecclesia. Gratias ago tibi, quod me christianum fieri volueris; et in hac sancta fide vivere me velle et mori profiteor.

Mi Deus, spero a te, per merita Iesu Christi, beatam tui possessionem in paradiso et omnia media salutis. Nempe haec desidero, quia tu es summum bonum meum. Et efficaciter haec exspecto, potes enim dare, quia omnipotens es; vis quoque dare, quia infinite misericors es; dabis, quia certo promisisti et infinite fidelis es.

Mi Deus, amo te ex toto corde meo super omnia, quia amasti me descendens de caelo et moriens in cruce pro mea salute, sed multo magis quia infinita bonitas es in te ipso sive infinita perfectio, et infinito dignus amore propter te ipsum.

Insuper amo proximos sicut me ipsum, propter te.

Digitized by Google

Actus contritionis.

Domine Deus, doleo ex integro corde de omnibus peccatis meis, quia per ea caelum amisi et infernum merui aliasque poenas incurri, sed multo magis, quia per ea te offendi, qui tantopere me amasti, et in te ipso es infinita bonitas sive perfectio, et infinite amabilis propter te ipsum; et detestor ea, quia tibi displicent. Propono firmiter non peccare de cetero: et ex hoc momento statuo vitare et tollere occasiones omnes, causas et pericula peccati: statuo etiam peccata mea quamprimum confiteri; et in satisfactionem accepto de manu tua omnia adversa, labores et onera.

Oratio ad sacrosanctam Trinitatem [1].

Omnipotentia Patris, adiuva fragilitatem meam et e profundo miseriae eripe me.

---

[1] 200 dies semel in die (Leo XIII, 15 Martii 1890).

Digitized by Google

Sapientia Filii, dirige cogitationes, verba et actiones meas omnes.

Amor Spiritus Sancti, esto cunctarum animae meae operationum principium, quo iugiter sint divino beneplacito conformes.

Actus oblationis S. Ignatii[1].

Suscipe, Domine, universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum atque voluntatem meam omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es; id totum tibi restituo ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis nec aliud quidquam ultra posco.

Recita ter Salutationem Angelicam, addens cuilibet salutationi[2]:

---

[1] 300 dies semel in die (Leo XIII, 26 Maii 1883).

[2] Pius PP. X, imminente anno iubilaei Immaculatae Conceptionis (die 4 Dec. 1904), volens commendare populo christiano praxim, quam S. Alphonsus promovit inter fideles, et quam idem Sanctus efficacem esse asserit ad castitatem servandam contra diabolicos incursus, singulis Christi-

Digitized by Google

Per tuam Immaculatam Conceptionem, o Maria, redde purum corpus meum et sanctam animam meam.

Oratio S. Aloysii Gonzagae ad Beatam Virginem Mariam [1].

O Domina mea, sancta Maria, in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae hodie et quotidie et in hora exitus mei animam meam et corpus meum tibi commendo: omnem spem meam et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem et per tua merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

---

fidelibus, qui ter Salutationem Angelicam, addita cuilibet salutationi supradicta invocatione, sive mane sive vespere devote recitaverint, tam mane quam vespere 300 dies indulg. def. applic. concessit (Acta S. Sedis XXXVII 369).

[1] 200 dies semel in die (Leo XIII, 15 Martii 1890). Immerito haec oratio S. Aloysio attribuitur tamquam auctori.

Digitized by Google

Oratio ad B. Virginem [1].

O Domina mea! O Mater mea! Tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devotum, consecro tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona Mater, serva me, defende me ut rem ac possessionem tuam.

Oratio ad Cor Iesu pro agonizantibus [2].

O clementissime Iesu, amator animarum, obsecro te per agoniam Cordis tui sanctissimi et per dolores Matris tuae immaculatae, lava in Sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros. Amen.

Cor Iesu in agonia factum, miserere morientium.

---

[1] Indulg. 100 dierum semel in die, si recitetur mane et vespere; et plenaria semel in mense (Pius IX, 5 Aug. 1851).

[2] Indulg. 100 dierum toties quoties, plenaria semel in mense, si quotidie ter diversis temporibus dicitur (Pius IX, 2 Febr. 1850).

Digitized by Google

Orationes iaculatoriae.

Cor dulcissimum mei Iesu, fac ut semper plus te amem [1].

Cor dulcissimum Mariae, sis salus mea! [2]

Fac nos innocuam, Ioseph, decurrere vitam, sitque tuo semper tuta patrocinio [3].

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna [4].

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis [5].

Deinde sequitur *Meditatio*, vide infra Partem V [6].

---

[1] 300 dies singula vice, plenaria semel in mense, die ad libitum (Pius IX, 26 Nov. 1876).

[2] 300 dies singula vice, plenaria semel in mense (Pius IX, 20 Sept. 1852).

[3] 300 dies semel in die (Leo XIII, 18 Martii 1882).

[4] 100 dies singula vice; plenaria die 2 Oct. pro iis, qui per totum annum, mane et vespere, hanc orationem recitaverint; plenaria semel in mense pro iis, qui per totum mensem quotidie eam recitant; plenaria in articulo mortis pro iis, qui in vita sua frequenter eam recitaverint (Pius VI, 2 Oct. 1795, 11 Iunii 1796; Pius VII, 15 Maii 1821).

[5] 50 dies singula vice, solis defunctis applicari potest (Leo XIII, 22 Martii 1902).

[6] Indulg. plenaria semel in mense, die ad libitum pro iis, qui quotidie per mensem meditantur durante dimidia vel saltem quarta parte horae (Benedictus XIV, 16 Dec. 1746).

Digitized by Google

2. Preces vespertinae.

Litaniae Lauretanae [1].

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de caelis Deus, — Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, — Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, — Miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, — Miserere nobis.
Sancta Maria, — Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, [2]
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,

---

[1] Indulg. 300 dierum qualibet vice. — Si quotidie recitentur, indulg. plenaria in festis Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V. sub cond. ord. et visitationis ecclesiae (Pius VII, 30 Sept. 1817).

[2] Ora pro nobis.

Digitized by Google

Mater purissima, [1]
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater boni consilii,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum iustitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,

---

[1] Ora pro nobis.

Digitized by Google

Foederis arca, [1]
Ianua caeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,
Regina sacratissimi Rosarii,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Miserere nobis.
V. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

---

[1] Ora pro nobis.

Digitized by Google

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Recita actuum fidei, spei et caritatis formulas, quas lingua vernacula didicisti, vel etiam formulas quae inveniuntur p. 119 sq; cf. Notam ib. Deinde incipit:

Examen conscientiae.

Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende.

V. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da

Digitized by Google

nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Examina te ipsum:

A. Examen generale.

1. *Officia erga Deum:* Preces matutinas persolvi? Meditationem institui, durante media fere hora, capiendo propositum practicum? Quomodo observavi illud propositum? Missam devote celebravi, non nimium festinans? vel devote audivi? Tempus sufficiens impendi gratiarum actioni? vel devote communionem accepi? Horas breviarii devote recitavi? Dominum Iesum in suo Sacramento visitavi? Sacrae lectioni, saltem nisi causa rationali impeditus fui, vacavi? Quinque decades Rosarii persolvi?

2. *Officia erga me ipsum:* Indulsi vitio dominanti? Vitavi personas et loca et res mihi periculosas? Impuras cogitationes superavi, orando? Sensus custodivi, praesertim oculos? Avaritiae et amori pecuniae indulsi? Temperantiam in cibo et potu colui? Superbis et ambitiosis cogitationibus et desideriis occupatus fui?

3. *Officia erga proximum:* a) *Superioribus* reverentiam et obedientiam praestiti? Praescripta synodi vel statuta non sum transgressus? b) *Aequales* cum caritate

Digitized by Google

tractavi? Detractione aut calumnia peccavi? c) *Inferioribus* verbo, exemplo, precibus profui? Illos ad salutem adducere conatus sum, rite implendo officia status, scil. sacramentorum administrationem, studium, praedicationem, catechismum, curam infirmorum?

B. Examen particulare.

Quomodo pugnavi contra vitium N.? Quomodo profeci in virtute N.?

Domine, da mihi cor contritum.

Deinde recita actum contritionis, vel eum quem vernacule didicisti, vel illum, quem habes p. 121.

Oratio S. Augustini.

Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus, et plagas quas accepimus, conferimus.

Si pensamus malum quod fecimus, minus est quod patimur, maius est quod meremur.

Gravius est quod commisimus, levius est quod toleramus.

Peccati poenam sentimus, et peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas nostra teritur, et iniquitas non mutatur.

Digitized by Google

Mens aegra torquetur, et cervix non flectitur.

Vita in dolore suspirat, et in opere non se emendat.

Si exspectas, non corrigimur: si vindicas, non duramus.

Confitemur in correctione quod egimus: obliviscimur post visitationem quod flevimus.

Si extenderis manum, facienda promittimus: si suspenderis gladium, promissa non solvimus.

Si ferias, clamamus ut parcas: si peperceris, iterum provocamus ut ferias.

Habes, Domine, confitentes reos: novimus quod nisi dimittas, recte nos perimas.

Praesta, Pater omnipotens, sine merito, quod rogamus, qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Additur ex Litaniis maioribus:

V. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.

Digitized by Google

R. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Oremus.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice: et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum.

Oratio S. Alphonsi [1].

Iesu Christe, Deus meus, adoro te et gratias tibi ago pro omnibus gratiis, quas hodie mihi largitus es. Tibi offero quietem meam et omnia huius noctis momenta, et precor te, ut a quocumque peccato me custodias. Ideo in tuo sacratissimo vulnere laterali recumbo et sub pallio tutelari Matris meae Mariae. Sancti Angeli tui mihi assistant meque in pace custodiant, et benedictio tua sit super me semper. Amen.

---

[1] 60 dies semel in die, si vespere recitatur (Leo XIII, 30 Iunii 1893).

Digitized by Google

Actus caritatis [1].

Pro obtinenda indulgentia plenaria in articulo mortis.

Domine Deus meus, iam nunc quodcumque mortis genus prout tibi placuerit, cum omnibus suis angoribus, poenis ac doloribus de manu tua aequo ac libenti animo suscipio.

Praeparatio ad mortem [2].

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. O mi Deus, moriendum mihi est certo, sed nescio quando, quomodo, ubi moriar: hoc unum scio me in aeternum periturum, si in peccato lethali exspirem. Beatissima Virgo Maria, Mater Dei sancta, ora pro me peccatore nunc et in hora mortis meae. Amen.

---

[1] Pius PP. X 9 Martii 1904 concessit omnibus Christifidelibus, qui confessi et s. Communione refecti, semel hanc orationem recitaverint, indulg. plenariam in articulo mortis.

[2] 300 dies toties quoties (Pius X, 12 Ian. 1906).

Digitized by Google

Oratio ad beatam Virginem Mariam pro bona morte impetranda [1].

O Maria, sine labe concepta, ora pro nobis, qui confugimus ad te; o refugium peccatorum, Mater agonizantium, noli nos derelinquere in hora exitus nostri, sed impetra nobis dolorem perfectum, sinceram contritionem, remissionem peccatorum nostrorum, sanctissimi Viatici dignam receptionem, extremae unctionis sacramenti corroborationem, quatenus securi praesentari valeamus ante thronum iusti, sed et misericordis Iudicis, Dei et Redemptoris nostri. Amen.

Ter *Ave Maria*, addendo cuilibet Ave:

Per tuam Immaculatam Conceptionem, o Maria, redde purum corpus meum et sanctam animam meam [2].

---

[1] 100 dies semel in die (Pius IX, 11 Martii 1856).

[2] Vide supra p. 123.

Digitized by Google

Oratio pro conversione haereticorum [1].

Domine Iesu, clementissime Salvator mundi, te per sacratissimum Cor tuum supplices exoramus, ut omnes oves errantes nunc ad te pastorem et episcopum animarum suarum convertantur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Orationes iaculatoriae.

Dulce Cor Iesu, sis amor meus! [2]

Sancta Virgo Maria Immaculata, Mater Dei, Mater nostra, tu pro nobis loquere ad Cor Iesu, qui tuus Filius est et Frater noster [3].

Sancte Ioseph, exemplar et patrone amantium Sacratissimi Cordis Iesu, ora pro nobis [4].

---

[1] 300 dies toties quoties (Pius X, 26 Oct. 1905).
[2] 300 dies semel in die (Leo XIII, 21 Maii 1892).
[3] 100 dies semel in die (Leo XIII, 20 Dec. 1890).
[4] 100 dies semel in die (Leo XIII, 19 Dec. 1891).

Digitized by Google

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna [1].

Pie Iesu, Domine, dona eis requiem sempiternam [2].

Quando decumbis et evigilas, saepius invoca ss. nomina Iesu et Mariae [3].

In tentationibus:

O Domina mea, o Mater mea! memento me esse tuum. Serva me, defende me ut rem ac possessionem tuam [4].

---

[1] Vide supra p. 125.

[2] 300 dies toties quoties, applicandae defunctis (Pius X, 18 Martii 1909).

[3] 300 dies toties quoties pro invocatione «Iesu, Maria» (Pius X, 10 Oct. 1904).

[4] 40 dies, quotiescumque sic in tentationibus oratur (Pius IX, 5 Aug. 1851).

Digitized by Google

Pars III.

Preces in visitatione SS. Sacramenti; necnon aliae selectae preces.

Primus modus visitationis.

Oratio S. Alphonsi [1].

Domine Iesu Christe, qui propter caritatem qua diligis homines, noctu dieque manes in hoc sacramento, pietatis plenus et amoris, exspectans, vocans et excipiens omnes qui ad te visitandum veniunt, ego te praesentem credo in sacramento Altaris, te adoro ex abysso vilitatis meae, tibique gratias ago pro omnibus beneficiis, quibus me exornasti, praesertim vero pro eo

---

[1] 300 dies singula vice; indulg. plenaria semel in mense pro iis qui hanc orationem per mensem quotidie recitaverint (Pius IX, 7 Sept. 1854).

Digitized by Google

quod mihi temetipsum donaveris in hoc sacramento, sanctissimam Matrem tuam mihi in advocatam dederis et ad visitandum te in hac ecclesia peramanter me vocaveris. Ego amantissimum Cor tuum hodie saluto ac triplici fine illud salutare intendo. Primo, ut grates tibi persolvam pro hoc maximo dono; secundo, ut deleam omnes iniurias, quibus in hoc sacramento ab inimicis tuis affectus fuisti; tertio, intendo hac visitatione te in cunctis terrae locis adorare, ubi tu in hoc sacramento minus veneratus es et magis derelictus. Amo te, o bone Iesu, ex toto corde meo. Poenitet me olim toties offendisse tuam infinitam bonitatem. Propono, adiuvante gratia tua, numquam in futurum te offendere; et nunc, licet miserabilis, me tibi totum devoveo; dono et resigno tibi totam voluntatem meam, affectus, desideria et omnia mea. Fac deinceps de me ac de rebus meis quidquid tibi placet. Hoc tantum

Digitized by Google

a te imploro, et volo, ut tuum sanctum amorem et perseverantiam finalem mihi concedas tuamque voluntatem perfecte des adimplere. Commendo tibi animas purgatorii, praesertim quae erga sanctissimum sacramentum et sanctissimam Virginem Mariam magis tenebantur devotionis affectu. Tibi etiam commendo omnes peccatores. Unio denique, iucundissime Salvator, omnes affectus meos cum affectibus Cordis tui amantissimi, et sic coniunctos offero aeterno Patri tuo, et illum deprecor in nomine tuo, ut per amorem tuum eos excipere et exaudire dignetur.

Alia oratio ad Iesum [1].

O bone Iesu: o piissime Iesu: o dulcissime Iesu: o Iesu Fili Mariae Virginis plene misericordia et pietate: o dulcis Iesu, secundum magnam misericordiam tuam miserere mei. O clementissime

[1] 100 dies semel in die (Pius IX, 26 Nov. 1876).

Digitized by Google

Iesu, te deprecor per illum sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas et in me respicias miserum et indignum humiliter veniam petentem et hoc nomen sanctum Iesu invocantem. O nomen Iesu, nomen dulce: nomen Iesu, nomen delectabile: nomen Iesu, nomen confortans. Quid est enim Iesus nisi Salvator? Ergo, Iesu, propter nomen sanctum tuum esto mihi Iesus et salva me. Ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creasti. O bone Iesu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Iesu, recognosce quod tuum est, et absterge quod alienum est. O benignissime Iesu, miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore iudicandi. Non mortui laudabunt te, Domine Iesu, neque omnes qui descendunt in infernum. O amantissime Iesu: o desideratissime Iesu: o mitissime

Digitized by Google

Iesu: o Iesu, Iesu, Iesu, admitte me intrare in numerum electorum tuorum. O Iesu salus in te credentium, o Iesu solatium ad te confugientium, o Iesu Fili Mariae Virginis, infunde in me gratiam, sapientiam, caritatem, castitatem et humilitatem, ut possim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi servire et in te gloriari, cum omnibus qui invocant nomen tuum, quod est Iesus. Amen.

Oratio ad gratiam implorandam servandae castitatis [1].

Domine Iesu Christe, sponse animae meae; deliciae cordis mei, immo cor meum et anima mea, ante conspectum tuum genibus me provolvo ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut mihi des servare fidem a me tibi solemniter datam in receptione subdiaconatus. Ideo, o dulcissime Iesu, abnegem omnem impietatem,

---

[1] 300 dies semel in die pro iis qui sunt in sacris ordinibus constituti (Leo XIII, 16 Martii 1886).

Digitized by Google

sim semper alienus a carnalibus desideriis et terrenis concupiscentiis, quae militant adversus animam, et castitatem, te adiuvante, intemerate servem.

O Sanctissima et Immaculata Maria, Virgo virginum et Mater nostra amantissima, munda in dies cor meum et animam meam, impetra mihi timorem Domini et singularem mei diffidentiam.

Sancte Ioseph, custos virginitatis Mariae, custodi animam meam ab omni peccato.

Omnes sanctae virgines, divinum agnum quocumque sequentes, estote mei peccatoris semper sollicitae, ne cogitatione, verbo aut opere delinquam et a castissimo Corde Iesu umquam discedam. Amen.

Oratio iaculatoria [1].

Bone Iesu, rogo te per dilectionem, qua diligis Matrem tuam,

---

[1] 100 dies semel in die pro iis qui sunt in sacris ordinibus constituti (Leo XIII, 14 Aug. 1884).

Digitized by Google

ut sicut vere eam diligis et diligi vis, ita mihi des, ut vere eam diligam.

Communio spiritualis [1].

Mi Iesu, credo te in altaris sacramento esse praesentem. Amo te super omnia, et te desidero in anima mea. Quia vero nunc te sacramentaliter recipere nequeo, saltem spirituali modo in cor meum veni. Amplector te, ac si iam venisses, et me totum tibi unio; ne permittas me adhuc umquam a te separari. O Iesu, summum bonum meum et dulcis amor meus, vulnera, quaeso, et inflamma cor meum, ut semper totum pro te ardeat.

Oratio ad beatam Mariam Virginem

ad impetrandam sanctam perseverantiam.

(Ex operibus S. Alphonsi de Liguori.)

O Regina caeli, Maria sanctissima, ego, miserum aliquamdiu

---

[1] 60 dies semel in die (Leo XIII, 30 Iunii 1893).

Digitized by Google

daemonis mancipium, me tibi nunc in servum perpetuum dedico, meque ad colendum te tibique serviendum per omnem vitam meam offero. Tu me accepta, nec repudia quemadmodum mereor. In te, o Mater, collocavi spes omnes meas; a te omnes meas fortunas spero. Benedico et gratias ago Deo, quod per suam misericordiam hanc mihi in te fiduciam dedit, quam habeo ut praeclarum pignus salutis meae. Sum equidem, fateor, praeterito tempore misere prolapsus in culpam, quia non confugi ad te. Nunc, per merita Iesu Christi ac preces tuas, spero me veniam impetrasse. Nec tamen hoc mihi sufficit: angor animo, cogitans posse me ad amittendam gratiam Dei reverti. Continuantur pericula, non dormiunt hostes, novae tentationes in me impetum facient. Tu igitur, o Domina mea, protege me; adiuva me in infernalium hostium assultibus, nec permitte me in pec-

Digitized by Google

catum umquam relabi. Numquam illud, precor, accidat, ut ego rursus animam meam, paradisum et Deum perdam atque ita in perniciem prolabar. Hanc ego gratiam a te peto, Maria; hanc ego volo; hanc tu mihi impetra. Ita spero, sic fiat.

Secundus modus visitationis.

Litaniae de SS. Corde Iesu [1].

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de caelis Deus, — Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, [2]
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,

---

[1] Leo XIII, Decreto *Urbis et Orbis* C. S. R. die 2 Apr. 1899, concedere dignatus est, ut Litaniae Ss. Cordis Iesu, iam approbatae et indulgentiis 300 dierum auctae, ubique terrarum tum privatim tum publice recitari et decantari in posterum valeant.

[2] Miserere nobis.

Digitized by Google

Cor Iesu, Filii Patris aeterni, [1]
Cor Iesu, in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum,
Cor Iesu, Verbo Dei substantialiter unitum,
Cor Iesu, Maiestatis infinitae,
Cor Iesu, templum Dei sanctum,
Cor Iesu, tabernaculum Altissimi,
Cor Iesu, domus Dei et porta caeli,
Cor Iesu, fornax ardens caritatis,
Cor Iesu, iustitiae et amoris receptaculum,
Cor Iesu, bonitate et amore plenum,
Cor Iesu, virtutum omnium abyssus,
Cor Iesu, omni laude dignissimum,
Cor Iesu, rex et centrum omnium cordium,
Cor Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae,
Cor Iesu, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis,
Cor Iesu, in quo Pater sibi bene complacuit,
Cor Iesu, de cuius plenitudine omnes nos accepimus,

---

[1] Miserere nobis.

Digitized by Google

Cor Iesu, desiderium collium aeternorum, [1]
Cor Iesu, patiens et multae misericordiae,
Cor Iesu, dives in omnes qui invocant te,
Cor Iesu, fons vitae et sanctitatis,
Cor Iesu, propitiatio pro peccatis nostris,
Cor Iesu, saturatum opprobriis,
Cor Iesu, attritum propter scelera nostra,
Cor Iesu, usque ad mortem obediens factum,
Cor Iesu, lancea perforatum,
Cor Iesu, fons totius consolationis,
Cor Iesu, vita et resurrectio nostra,
Cor Iesu, pax et reconciliatio nostra,
Cor Iesu, victima peccatorum,
Cor Iesu, salus in te sperantium,
Cor Iesu, spes in te morientium,
Cor Iesu, deliciae Sanctorum omnium,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
— Parce nobis, Domine.

[1] Miserere nobis.

Digitized by Google

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Miserere nobis.
V. Iesu mitis et humilis corde.
R. Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum tibi persolvit, eisque misericordiam tuam petentibus tu veniam concede placatus, in nomine eiusdem Filii tui Iesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Litaniae SS. Nominis Iesu [1].

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

---

[1] 300 dies semel in die (Leo XIII, 16 Ian. 1886).

Digitized by Google

Iesu audi nos.
Iesu exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, [1]
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Iesu Fili Dei vivi,
Iesu splendor Patris,
Iesu candor lucis aeternae,
Iesu rex gloriae,
Iesu sol iustitiae,
Iesu Fili Mariae Virginis,
Iesu amabilis,
Iesu admirabilis,
Iesu Deus fortis,
Iesu pater futuri saeculi,
Iesu magni consilii Angele,
Iesu potentissime,
Iesu patientissime,
Iesu obedientissime,
Iesu mitis et humilis corde,
Iesu amator castitatis,
Iesu amator noster,
Iesu Deus pacis,

---

[1] Miserere nobis.

Digitized by Google

Iesu auctor vitae, [1]
Iesu exemplar virtutum,
Iesu zelator animarum,
Iesu Deus noster,
Iesu refugium nostrum,
Iesu pater pauperum,
Iesu thesaure fidelium,
Iesu bone pastor,
Iesu lux vera,
Iesu sapientia aeterna,
Iesu bonitas infinita,
Iesu via et vita nostra,
Iesu gaudium Angelorum,
Iesu rex Patriarcharum,
Iesu magister Apostolorum,
Iesu doctor Evangelistarum,
Iesu fortitudo Martyrum,
Iesu lumen Confessorum,
Iesu puritas Virginum,
Iesu corona Sanctorum omnium,
Propitius esto, — Parce nobis Iesu.
Propitius esto, — Exaudi nos Iesu.
Ab omni malo, — Libera nos Iesu.
Ab omni peccato, [2]
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,

---

[1] Miserere nobis. [2] Libera nos, Iesu.

Digitized by Google

A spiritu fornicationis,[1]
A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum.
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per nativitatem tuam,
Per infantiam tuam,
Per divinissimam vitam tuam,
Per labores tuos,
Per agoniam et passionem tuam,
Per crucem et derelictionem tuam,
Per languores tuos,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam[2],
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Parce nobis Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Exaudi nos Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Miserere nobis Iesu.
Iesu audi nos.
Iesu exaudi nos.

---

[1] Libera nos, Iesu.

[2] Si Ordinario placuerit, addendum: *Per SS. Eucharistiae institutionem tuam* (C. S. R. 8 Febr. 1905).

Digitized by Google

Oremus.

Domine Iesu Christe, qui dixisti: Petite, et accipietis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis: quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus, et a tua numquam laude cessemus.

Sancti Nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum: quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R. Amen.

Oratio ad SS. Sacramentum et ad SS. Cor Iesu [1].

En quousque pervenit nimia caritas tua, o Iesu amantissime! Tu de carne tua ac de pretiosissimo sanguine tuo mensam divinam mihi parasti, ut mihi te

---

[1] 100 dies semel in die (Pius VII, 9 Febr. 1818).

Digitized by Google

ipsum totum dares. Quisnam te impulit ad hos amoris excessus? Non alius certe quam Cor tuum amantissimum. O Cor admirabile mei Iesu, fornax ardentissima divini amoris, recipe in sacratissimum vulnus tuum animam meam, ut in hac schola caritatis Deum illum redamare discam, qui tam mirifica mihi suae dilectionis pignora dedit. Amen.

Oratio S. Augustini ad Beatam Virginem Mariam,

qua Ecclesia eamdem Virginem deprecatur die 9 Sept. in divino Officio, lect. 5 et 6.

O beata Maria, quis tibi digne valeat iura gratiarum ac laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quae solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe igitur quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones: et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras

Digitized by Google

preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus: quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum, et in te, beatissima, nostrorum est exspectatio praemiorum. Sancta Maria, succurre miseris, iuva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum iuvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.

Tertius modus visitationis.

Iubilus S. Bernardi [1].

Iesu dulcis memoria
Dans vera cordis gaudia,
Sed super mel et omnia,
Eius dulcis praesentia.

[1] *Migne*, Patr. Lat. CLXXXIV 1317.

Digitized by Google

Nil canitur suavius,
Nil auditur iucundius,
Nil cogitatur dulcius
Quam Iesus Dei Filius.

Iesu, spes poenitentibus,
Quam pius es petentibus,
Quam bonus te quaerentibus!
Sed quid invenientibus?

Iesu, dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium
Et omne desiderium.

Nec lingua valet dicere
Nec littera exprimere,
Expertus potest credere,
Quid sit Iesum diligere.

Sis Iesu nostrum gaudium,
Qui es futurus praemium,
Sit nostra in Te gloria
Per cuncta semper saecula.

Iesum quaeram in lectulo,
Clauso cordis cubiculo:
Privatim et in publico
Quaeram amore sedulo.

Cum Maria diluculo
Iesum quaeram in tumulo,
Clamore cordis quaerulo,
Mente quaeram, non oculo.

Digitized by Google

Tumbam perfundam fletibus,
Locum replens gemitibus;
Iesu provolvar pedibus,
Strictis haerens amplexibus.

Iesu Rex admirabilis
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.

Mane nobiscum, Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine
Mundum reple dulcedine.

Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet caritas.

Amor Iesu dulcissimus
Et vere suavissimus,
Plus millies gratissimus,
Quam dicere sufficimus.

Hoc probat eius passio,
Hoc sanguinis effusio,
Per quam nobis redemptio
Datur et Dei visio.

Iesum omnes agnoscite,
Amorem eius poscite;
Iesum ardenter quaerite,
Quaerendo inardescite!

Digitized by Google

Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,
In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite.

Iesu, auctor clementiae,
Totius spes laetitiae,
Dulcoris fons et gratiae,
Verae cordis deliciae.

Iesu mi bone, sentiam
Amoris tui copiam,
Da mihi per praesentiam
Tuam videre gloriam.

Cum digne loqui nequeam
De te, tamen ne sileam:
Amor facit ut audeam,
Cum de te solum gaudeam.

Tua, Iesu, dilectio,
Grata mentis refectio,
Replens sine fastidio,
Dans famem desiderio.

Qui te gustant, esuriunt,
Qui bibunt, adhuc sitiunt;
Desiderare nesciunt,
Nisi Iesum, quem diligunt.

Quem tuus amor ebriat,
Novit, quid Iesus sapiat:
Quam felix est, quem satiat!
Non est ultra quod cupiat.

Digitized by Google

Iesu decus angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar caelicum.

Desidero te millies,
Mi Iesu, quando venies?
Me laetum quando facies?
Me de te quando saties?

Amor tuus continuus
Mihi languor assiduus,
Mihi fructus mellifluus
Est et vitae perpetuus.

Iesu, summa benignitas,
Mira cordis iucunditas,
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringat caritas.

Bonum mihi diligere
Iesum, nil ultra quaerere,
Mihi prorsus deficere,
Ut illi queam vivere.

O Iesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animae,
Te quaerunt piae lacrimae,
Te clamor mentis intimae.

Quocumque loco fuero,
Mecum Iesum desidero:
Quam laetus, cum invenero!
Quam felix, cum tenuero!

Digitized by Google

Quod iam quaesivi, video:
Quod concupivi, teneo:
Amore Iesu langueo,
Et corde totus ardeo.

Iesus cum sic diligitur,
Hic amor non extinguitur;
Non tepescit nec moritur;
Plus crescit et accenditur.

Hic amor ardet iugiter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat et feliciter.

Hic amor missus coelitus
Haeret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus,
Hoc delectatur spiritus.

O beatum incendium,
Et ardens desiderium!
O dulce refrigerium,
Amare Dei Filium!

Iesu, flos Matris Virginis
Amor nostrae dulcedinis,
Tibi laus, honor nominis,
Regnum beatitudinis.

Veni, veni, Rex optime,
Pater immensae gloriae,
Affulge menti clarius,
Iam exspectatus saepius.

Digitized by Google

Iesu sole serenior,
Et balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior,
Ceteris amabilior.

Cuius gustus sic afficit,
Cuius odor sic reficit,
In quo mea mens deficit,
Solus amanti sufficit.

Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio;
Tu mea gloriatio,
Iesu mundi salvatio.

Mi dilecte, revertere,
Consors paternae dexterae:
Hostem vicisti prospere,
Iam coeli regno fruere.

Sequar te, quoque ieris,
Mihi tolli non poteris,
Cum meum cor abstuleris,
Iesu, laus nostri generis.

Coeli cives, occurrite,
Portas vestras attollite.
Triumphatori dicite:
Ave, Iesu rex inclyte.

Rex virtutum, rex gloriae,
Rex insignis victoriae,
Iesu largitor veniae,
Honor coelestis patriae.

Digitized by Google

Tu fons misericordiae,
Tu verae lumen patriae:
Pelle nubem tristitiae,
Dans nobis lucem gloriae.

Te coeli chorus praedicat,
Et tuas laudes replicat:
Iesus orbem laetificat,
Et nos Deo pacificat.

Iesus in pace imperat,
Quae omnem sensum superat:
Hanc mea mens desiderat,
Et ea frui properat.

Iesus ad Patrem rediit
Coeleste regnum subiit:
Cor meum a me transiit,
Post Iesum simul abiit.

Quem prosequamur laudibus,
Votis, hymnis et precibus,
Ut nos donet caelestibus,
Secum perfrui sedibus.

Te nostra, Iesu, vox sonet [1],
Nostri te mores exprimant,
Te corda nostra diligant
Et nunc et in perpetuum. Amen.

---

[1] Ultima haec stropha additur ab Ecclesia (Festum SS. Nominis, ad Matut.).

Digitized by Google

Oratio S. Bernardi ad Beatam Virginem Mariam [1].

Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia esse derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te, Virgo virginum, Mater, curro, ad te venio, coram te gemens peccator assisto. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen.

Quartus modus visitationis.

Officium parvum SS. Cordis Iesu [2]

a Sede Apostolica per decret. C. S. R. 26 Febr. 1901 pro usu publico approbatum.

Ad Matutinum.

V. Domine, labia mea aperies.

R. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

---

[1] 300 dies toties quoties; indulg. plen. semel in mense pro iis qui hanc orationem per mensem quotidie recitaverint (Pius IX, 11 Dec. 1846).

[2] 200 dies semel in die, addita tamen aliqua prece ad intentionem Summi Pontificis, defunctis

Digitized by Google

V. Deus, in adiutorium etc.
V. Gloria Patri etc.
Alleluia *vel* Laus tibi etc.
V. Cor Iesu, flagrans amore nostri.
R. Inflamma cor nostrum amore tui.

Hymnus.

Caelestis aulae gaudium,
Splendor paternae gloriae,
Carnem benignus induens,
Nobis fores ut hostia;

Iesu, voluptas cordium,
Cor ure sacris ignibus,
Dignis ut ornem laudibus
Cordis tui sacrarium.

Cor dulce, Cor amabile,
Amore nostri fervidum,
Amore nostri languidum,
Fac sis mihi placabile.

---

applic. (Leo XIII, 24 Ian. 1902). — Inter alia exercitia devotionis B. Margareta Maria Alacoque (vixit 1647 ad 17 Oct. 1690; beatificata a Pio IX 24 Apr. 1864; soror ordinis Visitationis) etiam specialiter commendavit Officium parvum. Quod iam ante ipsam B. Margaretam in diversis redactionibus erat in usu. Anno 1691 P. Croiset S. J. harum parvarum horarum editionem dedit, quae a P. de Gallifet S. J. circa annum 1727 paulo modificata et completa fuit (*Behringer*, Die Ablässe II, n. 123). Pius X (1 Martii 1904) addidit indulg. plen. pro omnibus, qui per mensem quotidie illud recitaverint.

Digitized by Google

Cor Iesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Antiphona. O sacrum Cor Iesu, Patris voluntati obsequentissimum, inclina ad te corda nostra, ut quae placita sunt ei faciamus semper.

V. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

R. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Oratio.

Domine Iesu, qui ineffabiles Cordis tui dulcedines ac divitias Ecclesiae sponsae tuae singulari dilectione aperire dignatus es: concede nobis famulis tuis, ut gratiis caelestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus ditari et recreari mereamur: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Ad Laudes.

V. Deus, in adiutorium etc.

V. Gloria Patri etc.

Digitized by Google

V. Cor Iesu, flagrans amore nostri.

R. Inflamma cor nostrum amore tui.

Hymnus.

Cor, digna sedes Numine,
Te sacra virtus Flaminis,
Illapsa in alvum Virginis,
Puro creavit sanguine.

Tu Trinitatis gloria,
In te Patris sunt gaudia,
Iungit tibi se Filius,
In te quiescit Spiritus.

Orbi salus tu perdito,
Secura pax fidelium,
Puris asylum mentibus,
Castis recessus cordibus.

Cor Iesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Antiphona. O sacrum Cor Iesu, salutis nostrae sitientissimum, revoca nos praevaricatores ad cor, ut non moriamur in peccatis nostris.

V. et *Oratio* ut supra ad Matutinum (p. 165).

Digitized by Google

Ad Primam.

V. Deus, in adiutorium etc. (ut supra ad Laudes p. 165).

Hymnus.

O Cor amoris victima,
Caeli perenne gaudium,
Mortalium solatium,
Mortalium spes unica.

Grandi reclusum vulnere
Amor dedit te pervium,
Amor reclusit ostium,
Hortatur et pervadere.

Quos abluisti sanguine,
Venis apertis omnibus,
Nos intimis recessibus
Semel receptos contine.

Cor Iesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Antiphona. O sacrum Cor Iesu, puritatis exemplar perfectissimum, fac nos corde mundo, ut secundum te inveniri mereamur.

V. et *Oratio* ut supra ad Matutinum (p. 165).

Digitized by Google

Ad Tertiam.

V. Deus, in adiutorium etc. (ut supra ad Laudes p. 165).

Hymnus.

O Cor amore saucium,
Amore corda saucia:
Vitale nectar caelitum,
Amore nos inebria.

Novo Deus mysterio
Carnem suam dat pabulum,
Et sanguinem dat poculum
Mirabili in convivio.

Quem proni adorant Angeli
Sub mystico velamine,
Divinitatis temperans
Lumen, fit esca servulis.

Cor Iesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Antiphona. O sacrum Cor Iesu, in hostes tuos mitissimum, exsultet pax tua in cordibus nostris, ut persequentibus et calumniantibus nos remittamus de cordibus nostris.

V. et *Oratio* ut supra ad Matutinum (p. 165).

Digitized by Google

Ad Sextam.

V. Deus, in adiutorium etc. (ut supra ad Laudes p. 165).

Hymnus.

Cor, ara caelo celsior,
Terris marique latior,
Quas ante non exceperis
Deus repellit hostias.

Hic sacra virtutum cohors,
Custos comesque candidae
Fidelis innocentiae
In sede regnat propria.

Hoc iura quae mundum regant
Volvuntur alto pectore,
Hoc fonte quae mentes beent
Manant fluenta gratiae.

Cor Iesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Antiphona. O sacrum Cor Iesu, pro peccatis nostris afflictissimum, da nobis cor contritum et humiliatum, ut dignos poenitentiae fructus faciamus.

V. et *Oratio* ut supra ad Matutinum (p. 165).

Digitized by Google

Ad Nonam.

V. Deus, in adiutorium etc. (ut supra ad Laudes p. 165).

Hymnus.

Cor sole puro purius,
Templumque caelo dignius,
Verbi Dei sacrarium,
Opum Dei compendium.

Ex te quot actus prodeunt,
Tot digna Patre munera;
Quot vota fundis, tot Pater
Iustis rependit praemiis.

Vindex reis irascitur
Deus, sed ut te respicit,
Placatus iras abicit
Et fulmen obliviscitur.

Cor Iesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Antiphona. O sacrum Cor Iesu, paupertatis amantissimum, pone nos ut signaculum super te, ut in te, unico thesauro nostro, totum sit cor nostrum.

V. et *Oratio* ut supra ad Matutinum (p. 165).

Digitized by Google

Ad Vesperas.

V. Deus, in adiutorium etc. (ut supra ad Laudes p. 165).

Hymnus.

O Cor, Deo par victima,
Altare sacratissimum,
In quo perennis hostia
Culpas piat mortalium.

Nidus gementis turturis,
Gratum columbis pabulum,
Hortus refulgens floribus,
Sponsae quies et lectulus.

Hic casta spirant lilia,
Quibus nitescunt Virgines,
Hic unde splendent Martyres
Rosae rubescit purpura.

Cor Iesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Antiphona. O sacrum Cor Iesu, diligentibus te beneficentissimum, deficiat in te caro nostra et cor nostrum, ut sis amor cordis nostri et pars nostra in aeternum.

V. et *Oratio* ut supra ad Matutinum (p. 165).

Digitized by Google

Ad Completorium.

V. Deus, in adiutorium etc. (ut supra ad Laudes p. 165).

Hymnus.

Cor Matris ad Cor Filii
Amoris ardens impetu,
Indesinente anhelitu,
Suspirat oblitum sui.

Utrumque amoris vinculo
Nexu perenni iungitur,
Hoc ardet huius ignibus
Ignemque reddit aemulum.

Cor Iesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Antiphona. O victima caritatis, Cor amantissimum Iesu, pro peccatis nostris immolatum, ab ingratis hominibus neglectum et afflictum, converte nos, vivifica nos, accende nos.

V. et *Oratio* ut supra ad Matutinum (p. 165).

Digitized by Google

Officium parvum Immaculatae Conceptionis[1].

Ad Matutinum.

V. Eia, mea labia, nunc annuntiate.

R. Laudes et praeconia Virginis beatae.

V. Domina, in adiutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

V. Gloria Patri etc., Alleluia.

A Septuagesima ad Pascha:

Laus tibi, Domine, Rex aeternae gloriae.

---

[1] Hoc Officium congruit cum editione Romana, quae prodiit anno 1838 e typographia Rev. Cam. Apost. et quae approbata erat a S. C. Concilii. Huius Officii recitationem admodum placere beatae Virgini atque utilissimam esse ad obtinendam castitatem, piorum usu et innumeris experientiae argumentis comprobatum est. Auctor huius Officii ignotus est. Iam exstitit saec. 15. S. Alphonsus Rodriguez S. J. quotidie illud recitabat per 40 annos. Quadam vice apparuit ei beata Virgo, eum exhortans, ut hoc Officium propagaret (cf. *Bolland.*, Acta SS., 30. Oct., p. 635 et 593). Indulg. 300 dierum singula vice (Pius IX, 31 Martii 1876).

Digitized by Google

Hymnus.

Salve, mundi Domina,
Caelorum Regina:
Salve, Virgo virginum,
Stella matutina.

Salve, plena gratia,
Clara luce divina:
Mundi in auxilium,
Domina, festina.

Ab aeterno Dominus
Te praeordinavit
Matrem unigeniti
Verbi, quo creavit

Terram, pontum, aethera:
Te pulchram ornavit
Sibi sponsam, quae in
Adam non peccavit. Amen.

V. Elegit eam Deus et praeelegit eam.

R. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

V. Domina, protege orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Sancta Maria, Regina caelorum, Mater Domini nostri Iesu Christi

Digitized by Google

et mundi Domina, quae nullum derelinquis et nullum despicis: respice me, Domina, clementer oculo pietatis, et impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum, ut, qui nunc tuam sanctam et immaculatam Conceptionem devoto affectu recolo, aeternae in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso, quem virgo peperisti, donante Domino nostro Iesu Christo: Qui cum Patre et Sancto Spiritu vivit et regnat, in Trinitate perfecta Deus in saecula saeculorum. Amen.

V. Domina, protege orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

V. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

Ad Primam.

V. Domina, in adiutorium meum intende.

Digitized by Google

R. Me de manu hostium potenter defende.

V. Gloria Patri etc., Alleluia.

Hymnus.

Salve, Virgo sapiens,
Domus Deo dicata,
Columna septemplici
Mensaque exornata.

Ab omni contagio
Mundi praeservata:
Ante sancta in utero
Parentis, quam nata.

Tu, Mater viventium,
Et porta es Sanctorum:
Nova stella Iacob,
Domina Angelorum.

Zabulo terribilis
Acies castrorum:
Portus et refugium
Sis Christianorum. Amen.

V. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto.

R. Et effudit illam inter omnia opera sua.

V. Domina, protege etc., cum Oratione (ut supra ad Matutinum p. 174).

Digitized by Google

Ad Tertiam.

V. Domina, in adiutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

V. Gloria Patri etc., Alleluia.

Hymnus.

Salve, arca foederis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher aetheris,
Rubus visionis:

Virga frondens germinis:
Vellus Gedeonis:
Porta clausa numinis,
Favusque Samsonis.

Decebat tam nobilem
Natum, praecavere
Ab originali
Labe Matris Evae

Almam, quam elegerat,
Genitricem vere,
Nulli prorsus sinens
Culpae subiacere. Amen.

V. Ego in altissimis habito.

R. Et thronus meus in columna nubis.

Digitized by Google

V. Domina, protege etc., cum Oratione (ut supra ad Matutinum p. 174).

Ad Sextam.

V. Domina, in adiutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

V. Gloria Patri etc., Alleluia.

Hymnus.

Salve, Virgo puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis:

Solamen moerentium,
Hortus voluptatis:
Palma patientiae,
Cedrus castitatis.

Terra es benedicta
Et sacerdotalis,
Sancta et immunis
Culpae originalis.

Civitas Altissimi,
Porta orientalis:
In te est omnis gratia,
Virgo singularis. Amen.

Digitized by Google

V. Sicut lilium inter spinas.

R. Sic amica mea inter filias Adae.

V. Domina, protege etc., cum Oratione (ut supra ad Matutinum p. 174).

Ad Nonam.

V. Domina, in adiutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

V. Gloria Patri etc., Alleluia.

Hymnus.

Salve, urbs refugii,
Turrisque munita
David, propugnaculis
Armisque insignita.

In Conceptione
Caritate ignita,
Draconis potestas
Est a te contrita.

O mulier fortis
Et invicta Iudith!
Pulchra Abisag virgo,
Verum fovens David!

Digitized by Google

Rachel curatorem
Aegypti gestavit:
Salvatorem mundi
Maria portavit. Amen.

V. Tota pulchra es, amica mea.

R. Et macula originalis numquam fuit in te.

V. Domina, protege etc., cum Oratione (ut supra ad Matutinum p. 174).

Ad Vesperas.

V. Domina, in adiutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

V. Gloria Patri etc., Alleluia.

Hymnus.

Salve, horologium,
Quo retrogradiatur
Sol in decem lineis;
Verbum incarnatur.

Homo ut ab inferis
Ad summa attollatur,
Immensus ab Angelis
Paulo minoratur.

Digitized by Google

Solis huius radiis
Maria coruscat;
Consurgens aurora
In conceptu micat.

Lilium inter spinas,
Quae serpentis conterat
Caput: pulchra ut luna
Errantes collustrat. Amen.

V. Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens.

R. Et quasi nebula texi omnem terram.

V. Domina, protege etc., cum Oratione (ut supra ad Matutinum p. 174).

Ad Completorium.

V. Convertat nos, Domina, tuis precibus placatus Iesus Christus Filius tuus.

R. Et avertat iram suam a nobis.

V. Domina, in adiutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

V. Gloria Patri etc., Alleluia.

Digitized by Google

Hymnus.

Salve, Virgo florens,
Mater illibata,
Regina clementiae,
Stellis coronata.

Super omnes Angelos
Pura, immaculata,
Atque ad regis dexteram
Stans veste deaurata.

Per te, Mater gratiae,
Dulcis spes reorum,
Fulgens stella maris,
Portus naufragorum:

Patens caeli ianua,
Salus infirmorum,
Videamus Regem
In aula Sanctorum. Amen.

V. Oleum effusum, Maria, nomen tuum.

R. Servi tui dilexerunt te nimis.

V. Domina, protege etc., cum Oratione (ut supra ad Matutinum p. 174).

Supplices offerimus
Tibi, Virgo pia,
Haec laudum praeconia;
Fac nos ut in via

Digitized by Google

Ducas cursu prospero,
Et in agonia
Tu nobis assiste,
O dulcis Maria. Amen.

Deo gratias.

Antiphona. Haec est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpae fuit.

V. In conceptione tua, Virgo, immaculata fuisti.

R. Ora pro nobis Patrem, cuius Filium peperisti.

Oremus.

Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus, ut qui ex morte eiusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos eius intercessione ad te pervenire concedas. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen [1].

---

[1] 100 dies toties quoties pro recit. huius Antiphonae *V.*, *R.* et Or. (Pius IX, 31 Martii 1876).

Digitized by Google

Litaniae de S. Ioseph [1].

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, — Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, — Miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, — Miserere nobis.
Sancta Maria, — Ora pro nobis.
Sancte Ioseph, [2]
Proles David inclyta,
Lumen Patriarcharum,
Dei Genitricis sponse,
Custos pudice Virginis,
Filii Dei nutritie,
Christi defensor sedule,

---

[1] Pius PP. X indulsit, ut hae litaniae tum private tum publice recitari et decantari valeant. Insuper 300 dierum indulg. semel in die, def. applicabilem, concessit (18 Martii 1909).

[2] Ora pro nobis.

Digitized by Google

Almae Familiae praeses,[1]
Ioseph iustissime,
Ioseph castissime,
Ioseph prudentissime,
Ioseph fortissime,
Ioseph obedientissime,
Ioseph fidelissime,
Speculum patientiae,
Amator paupertatis,
Exemplar opificum,
Domesticae vitae decus,
Custos virginum,
Familiarum columen,
Solatium miserorum,
Spes aegrotantium,
Patrone morientium,
Terror daemonum,
Protector sanctae Ecclesiae,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Miserere nobis.

---

[1] Ora pro nobis.

Digitized by Google

V. Constituit eum dominum domus suae.

R. Et principem omnis possessionis suae.

Oremus.

Deus, qui ineffabili providentia beatum Ioseph sanctissimae Genitricis tuae sponsum eligere dignatus es: praesta, quaesumus, ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in coelis: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Litaniae de omnibus Sanctis.

Antiphona. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Litaniae.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Digitized by Google

Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de caelis Deus, — Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, — Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, — Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, — Miserere nobis.
Sancta Maria, — Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix,[1]
Sancta Virgo virginum,
Sancte Michaël,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphaël,
Omnes sancti Angeli et Archangeli,
Omnes sancti beatorum Spirituum ordines,
Sancte Ioannes Baptista,
Sancte Ioseph,
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae,
Sancte Petre,

[1] Ora (*resp.* orate) pro nobis.

Digitized by Google

Sancte Paule, [1]
Sancte Andrea,
Sancte Iacobe,
Sancte Ioannes,
Sancte Thoma,
Sancte Iacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomaee,
Sancte Matthaee,
Sancte Simon,
Sancte Thaddaee,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae,
Omnes sancti Discipuli Domini,
Omnes sancti Innocentes,
Sancte Stephane,
Sancte Laurenti,
Sancte Vincenti,
Sancti Fabiane et Sebastiane,
Sancti Ioannes et Paule,
Sancti Cosma et Damiane,

---

[1] Ora (*resp.* orate) pro nobis.

Digitized by Google

Sancti Gervasi et Protasi,[1]
Omnes sancti Martyres,
Sancte Silvester,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolaë,
Omnes sancti Pontifices et Confessores,
Omnes sancti Doctores,
Sancte Antoni,
Sancte Benedicte,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Francisce,
Omnes sancti Sacerdotes et Levitae,
Omnes sancti Monachi et Eremitae,
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,

---

[1] Orate (*resp.* ora) pro nobis.

Digitized by Google

Sancta Catharina,[1]
Sancta Anastasia,
Omnes sanctae Virgines et Viduae,
Omnes Sancti et Sanctae Dei, — Intercedite pro nobis.
Propitius esto, — Parce nobis Domine.
Propitius esto, — Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, — Libera nos Domine.
Ab omni peccato,[2]
Ab ira tua,
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira et odio et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure et tempestate,
A flagello terraemotus,
A peste, fame et bello,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per adventum tuum,

---

[1] Ora (*resp.* orate) pro nobis.
[2] Libera nos Domine.

Digitized by Google

Per nativitatem tuam, [1]
Per baptismum et sanctum ieiunium tuum,
Per crucem et passionem tuam,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per sanctam resurrectionem tuam,
Per admirabilem ascensionem tuam,
Per adventum Spiritus Sancti Paracliti,
In die iudicii,
Peccatores, — Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, [2]
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut domnum apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris,
Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris,

---

[1] Libera nos Domine.
[2] Te rogamus audi nos.

Digitized by Google

Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris, [1]
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad caelestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,
Ut fructus terrae dare et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Miserere nobis.

[1] Te rogamus audi nos.

Digitized by Google

Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster (secreto).

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

Psalmus 69.

Deus in adiutorium meum intende: * Domine ad adiuvandum me festina.

Confundantur et revereantur, * qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exsultent et laetentur in te omnes qui quaerunt te, * et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum: * Deus adiuva me.

Digitized by Google

Adiutor meus et liberator meus et tu: * Domine ne moreris.

Gloria Patri. Sicut erat.

V. Salvos fac servos tuos.

R. Deus meus sperantes in te.

V. Esto nobis Domine turris fortitudinis.

R. A facie inimici.

V. Nihil proficiat inimicus in nobis.

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

V. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

R. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

V. Oremus pro Pontifice nostro N.

R. Dominus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum eius.

V. Oremus pro benefactoribus nostris.

R. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus

Digitized by Google

propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

V. Oremus pro fidelibus defunctis.

R. Requiem aeternam dona eis Domine : et lux perpetua luceat eis.

V. Requiescant in pace.

R. Amen.

V. Pro fratribus nostris absentibus.

R. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

V. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.

R. Et de Sion tuere eos.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere : suscipe deprecationem nostram; ut nos et omnes famulos tuos, quos delic-

Digitized by Google

torum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende : ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris : preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae : ut, te donante, tibi placita cupiat et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et iusta sunt opera :

Digitized by Google

da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris quos tuos fide et opere futuros

Digitized by Google

esse praenoscis : te supplices exoramus; ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

V. Exaudiat nos omnipoteus et misericors Dominus.

R. Amen.

V. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

Antiphona ad B. M. V. temp. Pasch.

Regina coeli, laetare, alleluia,
Quia quem meruisti portare, alleluia.
Resurrexit, sicut dixit, alleluia.
Ora pro nobis Deum, alleluia.

Digitized by Google

V. Gaude et laetare, Virgo Maria, alleluia.

R. Quia surrexit Dominus vere, alleluia.

Oremus.

Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Iesu Christi mundum laetificare dignatus es: praesta quaesumus; ut per eius Genitricem Virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

In processionibus litaniarum.

Antiphona. Exsurge, Domine, adiuva nos, et libera nos propter nomen tuum.

Psalmus. Deus, auribus nostris audivimus; patres nostri annuntiaverunt nobis.

Gloria Patri. Sicut erat.

Et repetitur: Exsurge, Domine etc.

Dein incipiunt litaniae:

(In aliis processionibus: Procedamus in pace. Chorus: In nomine Christi. Amen.)

Digitized by Google

Preces ante studium.

Oratio S. Thomae ante studium [1].

Concede mihi, misericors Deus, quae tibi placita sunt ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere ad laudem et gloriam nominis tui. Amen.

Alia oratio S. Thomae,

quam ipse frequenter dicebat, antequam dictaret, scriberet aut praedicaret [2].

Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiae tuae tres Angelorum hierarchias designasti et eas super caelum empyreum miro ordine collocasti atque universi partes elegantissime disposuisti; Tu, inquam, qui verus fons luminis et sapientiae diceris atque supereminens principium: infundere digneris super intellectus mei tene-

---

[1] 300 dies indulg., cum recitatur ante studium aut instructionem (Leo XIII, 21 Iunii 1879).

[2] 200 dies semel in die (Leo XIII, 21 Febr. 1880).

Digitized by Google

bras tuae radium claritatis, duplices, in quibus natus sum, a me removens tenebras, peccatum scilicet et ignorantiam. Tu qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias atque in labiis meis gratiam tuae benedictionis infunde. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum et facultatem, interpretandi subtilitatem, loquendi gratiam copiosam; ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas, Tu, qui es verus Deus et homo. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Sequentia ad Sanctum Spiritum [1].

Qui procedis ab utroque
Genitore genitoque
Pariter, Paraclite,
Redde linguas eloquentes,
Fac ferventes in te mentes
Flamma tua divite.

---

[1] Sequentia haec auctorem habet Adamum a S. Victore; cf. infra in principio Partis VII (p. 544) notam ad Sequentiam in Assumptione B. M. V.

Digitized by Google

Amor Patris Filiique,
Par amborum et utrique
Compar et consimilis,
Cuncta reples, cuncta foves,
Astra regis, caelum moves,
Permanens immobilis.

Lumen clarum, lumen carum,
Internarum tenebrarum
Effugas caliginem;
Per te mundi sunt mundati,
Tu peccatum, tu peccati
Destruis rubiginem.

Veritatem notam facis
Et ostendis viam pacis
Et iter iustitiae;
Perversorum corda vitas
Et bonorum corda ditas
Munere scientiae.

Te docente nil obscurum,
Te praesente nil impurum,
Sub tua praesentia
Gloriatur mens iucunda,
Per te laeta, per te munda
Gaudet conscientia.

Tu commutas elementa,
Per te suam sacramenta
Habent efficaciam.
Tu nocivam vim repellis,
Tu confutas et refellis
Hostium nequitiam.

Digitized by Google

Quando venis, corda lenis,
Quando subis, atrae nubis
Effugit obscuritas;
Sacer ignis pectus ignis,
Non comburis, sed a curis
Purgas, quando visitas.

Mentes prius imperitas
Et sopitas et oblitas
Erudis et excitas.
Foves linguas, formas sonum,
Cor ad bonum facit pronum
A te data caritas.

O iuvamen oppressorum,
O solamen miserorum,
Pauperum refugium:
Da contemptum terrenorum,
Ad amorem supernorum
Trahe desiderium.

Consolator et fundator,
Habitator et amator
Cordium humilium,
Pelle mala, terge sordes,
Et discordes fac concordes
Et affer praesidium.

Tu qui quondam visitasti,
Docuisti, confortasti
Timentes discipulos:
Visitare nos digneris,
Nos, si placet, consoleris
Et credentes populos.

Digitized by Google

Par maiestas personarum,
Par potestas est earum
Et communis deitas:
Tu procedens a duobus
Coaequalis es ambobus;
In nullo disparitas.

Quia tantus es et talis,
Quantus Pater est et qualis,
Servorum humilitas
Deo Patri Filioque
Redemptori, tibi quoque
Laudes reddat debitas!

Consecratio studiorum in honorem immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis [1].

Sub patrocinio tuo, Mater dulcissima, et invocato immaculatae Conceptionis tuae mysterio, studia mea laboresque litterarios prosequi volo: quibus me protestor hunc maxime ob finem incumbere, ut melius divino honori tuoque cultui propagando inserviam. Oro te igitur, Mater amantissima, sedes sapientiae, ut laboribus meis benigne faveas. Ego vero, quod

[1] 100 dies semel in die pro iuvenibus studiosis (Leo XIII, 18 Nov. 1882).

Digitized by Google

iustum est, pie libenterque promitto, quidquid boni mihi inde successerit, id me tuae apud Deum intercessioni totum acceptum relaturum. Amen.

Oratio ad S. Thomam, scholarum catholicarum Patronum [1].

Doctor angelice, Sancte Thoma, Theologorum princeps et Philosophorum norma, praeclarum christiani orbis decus et Ecclesiae lumen, scholarum omnium catholicarum caelestis patrone, qui sapientiam sine fictione didicisti et sine invidia communicas, ipsam sapientiam Filium Dei deprecare pro nobis, ut, veniente in nos Spiritu sapientiae, ea quae docuisti intellectu conspiciamus, et quae egisti imitatione compleamus; doctrinae et virtutis, quibus in terris, solis instar, semper eluxisti, participes efficiamur; ac tandem earum suavissimis fructibus perenniter tecum delectemur in caelis,

[1] 200 dies semel in die (Leo XIII 3 Iulii 1885).

Digitized by Google

divinam sapientiam collaudantes per infinita saecula saeculorum. Amen.

Oratio sacerdotis et seminaristae ad sese praemuniendum contra modernistarum errores [1].

Domine Iesu Christe, auctor fidei et consummator, qui ineffabili misericordia me in sacerdotem tuum elegisti, toto cordis ardore te oro atque obtestor, ut a mente mea quamcumque modernistici erroris sive alius haereseos labem longissime avertere digneris.

Ex animo tibi promitto, me cohibiturum esse vanam curiositatem, quae nitatur plus sapere quam oporteat sapere, atque e libris venenatis veritatem quaerere stulte velit.

Promitto quoque, me humilitatem et obedientem erga tui vicarium atque episcopum meum reverentiam sedulo culturum esse.

---

[1] Desumpta, ad sensum quod spectat, ex Encycl. Pii X «Pascendi» 8 Sept. 1907.

Digitized by Google

Promitto denique, me, secundum Ecclesiae vota, semper veneraturum esse scientiam scholasticam, Patrum auctoritatem et traditionem, magisterium ecclesiasticum.

Haec promissa, fac tua gratia stabilientur. Fide viva et caritate semper tibi, sicut palmes viti, coniunctus maneam. Fides mea in omne opus bonum prorumpat, ut dignus Ecclesiae tuae minister esse valeam.

Virgo immaculata, cunctarum haeresum interemptrix, beata quae credidisti, sceptrum orthodoxae fidei, has meas preces dilectissimo Filio tuo offerre velis et commendare. Amen.

Orationes ante et post confessionem sacerdotis[1].

1. Ante confessionem.

Suscipe confessionem meam, piissime ac clementissime Domine

[1] 200 dies pro sacerdotibus has orationes recitantibus (Leo XIII, 19 Aug. 1882).

Digitized by Google

Iesu Christe, unica spes salutis animae meae, et da mihi, obsecro, contritionem cordis et lacrimas oculis meis, ut defleam diebus ac noctibus omnes negligentias meas cum humilitate et puritate cordis. Domine Deus meus, suscipe preces meas. Salvator mundi, Iesu bone, qui te crucis morti dedisti, ut peccatores salvos faceres, respice me miserum peccatorem invocantem nomen tuum, et noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum; et si commisi unde me damnare potes, tu non amisisti unde salvare soles. Parce ergo mihi, qui es Salvator meus, et miserere peccatrici animae meae. Solve vincula eius, sana vulnera. Emitte igitur, piissime Domine, meritis purissimae et immaculatae semper Virginis Genitricis tuae Mariae et Sanctorum tuorum, lucem tuam, veritatem tuam in animam meam, quae omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, de quibus confiteri me oportet,

Digitized by Google

atque iuvet et doceat ipsos plene et contrito corde explicare. Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

2. Post confessionem.

Sit tibi, Domine, obsecro, meritis beatae semper Virginis Genitricis tuae Mariae et omnium Sanctorum grata et accepta ista confessio mea; et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua, et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in caelo. Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Orationes dicendae a confessariis.

Antequam excipiant confessiones [1].

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut

[1] 100 dies semel in die pro sacerdotibus, qui hanc orationem praeparatoriam recitaverint ante-

Digitized by Google

sciam iudicare populum tuum in iustitia et pauperes tuos in iudicio. Fac me ita tractare claves regni caelorum, ut nulli aperiam, cui claudendum sit; nulli claudam, cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, caritas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa; pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quaeso, ad retrahendos a malo sollertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam, in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam; inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer; alios salvem, me ipsum non perdam. Amen.

---

quam confessiones excipiant (Pius IX, 27 Martii 1854).

Digitized by Google

Postquam confessiones exceperint.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, suscipe hoc obsequii mei ministerium in amore illo superdignissimo, quo beatam Mariam Magdalenam omnesque ad te confugientes peccatores absolvisti, et quidquid in Sacramenti huius administratione negligenter minusque digne perfeci, tu per te supplere et satisfacere digneris. Omnes et singulos, qui mihi modo confessi sunt, commendo dulcissimo Cordi tuo, rogans ut eosdem custodias et a recidiva praeserves atque post huius vitae miseriam mecum ad gaudia perducas aeterna. Amen.

Exercitium Viae Crucis.

1. **Indulgentiae:** Quicumque hoc exercitium peragit, consequitur «easdem indulgentias, quas consequeretur, si personaliter visitaret Stationes Viae Crucis in Hierusalem» (S. C. Indulg. Monitio 3 Apr. 1731, n. IX, Decr. Auth. n. 100).

Huiusmodi indulgentiae sunt numerosae, eaeque non solum *partiales* (hae pluries), sed et *plenariae* (hae semel in die lucrari

Digitized by Google

possunt). Certo omnes sunt applicabiles defunctis.

Determinatus et certus earum numerus exhiberi nequit, quia aliae oretenus concessae fuerunt, et reliquarum concessionum Bullae Breviaque igne fuerunt consumpta, sedente Pio V. Et eadem S. C. Indulg. edixit: «Non publicetur . . . certus et determinatus numerus indulgentiarum lucrandarum» (ib.).

Poteris unam plenariam tibi reservare, aliam determinatae animae defuncti, reliquas defunctis universim applicare.

2. Conditiones ad lucrandas indulgentias requisitae:

Conditiones generales: intentio lucrifaciendi indulgentias (sufficit intentio generalis) et status gratiae (saltem, si quis pro se ipso indulgentias lucrifacere vult; ad lucrandum pro defunctis, iuxta plures auctores, non requiritur status gratiae).

Conditiones pro Via Crucis (non requiritur confessio nec communio, sed): 1. *meditatio passionis Domini.* Et quidem «sufficit meditari quantumvis breviter» (S. C. Indulg. Mon. VI). «Meditetur secundum suam capacitatem» (Raccolta); 2. *motus localis* de una statione in aliam, ita ut, «ubi nullum adsit impedimentum, singulae stationes singillatim sint visitandae» (S. C. Indulg. Mon. VII), seu «transeundum est ab una statione in aliam, in quantum sinit aut multitudo personarum, quae eas visitant, aut angustia loci» (Decr. Auth. n. 287);

Digitized by Google

3. ut quattuordecim stationes visitentur *uno tractu*, ita ut notabiliter et moraliter non adsit interruptio (ib. n. 385, 223).

Statio prima.

Iesus condemnatur ad mortem.

V. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

R. Quia per crucem tuam redemisti mundum [1].

Meditatio [2]: Perpende immensam confusionem sententiae capitalis . . . freneticae turbae insultus et ludibria, ubi fertur iudicialis sententia . . . Iesu tacentis querimonias ad Iudaeos et ad te: «Populo meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? Tu me cecidisti alapis et flagellis; tu dedisti capiti meo hanc spineam

---

[1] Haec *V.* et *R.* non requiruntur ad lucrandas indulgentias, sicut nec: «Miserere nostri . . .» (sed haec laudabiliter adduntur iuxta S. C. Indulg., 16 Febr. 1839).

[2] Ad lucrandas indulgentias probabilius non requiritur meditatio illorum praecise mysteriorum, quae singulis stationibus repraesentantur; sed sufficit meditatio passionis Domini in genere.

Digitized by Google

coronam; tu me tradis nunc ad crucifigendum.» [1] . . .

Fructus: Libenter perferam offensiones mihi illatas.

Oratio iaculatoria: «Per te, Virgo, sim defensus in die iudicii [2].»

V. Miserere nostri, Domine, miserere nostri.

R. O Deus propitius esto nobis peccatoribus.

Pater noster. Ave Maria [3].

Statio secunda.

Iesus assumit crucem in humeros suos.

V. Adoramus etc.

Meditatio: Perpende terrificam praevisionem omnium dolorum et mortis, quae iam instabant . . . amorem, quo Iesus crucem acceptat, motus dilectione erga te . . .

---

[1] Miss. Rom. in Parasceve. Improperia.

[2] Ex Hymn. Stabat Mater, sicut et alia plura.

[3] Non requiritur ad lucrandas indulgentias, sicut nec 6 Pater noster et Ave Maria in fine (utut haec laudabiliter adduntur, iuxta S. C. Indulg., 2 Iunii 1838 et 16 Febr. 1839), nec ullae preces orales.

Digitized by Google

gaudium ipsius, cum, ferventius quam S. Andreas, Iesus illam salutet: «Salve, o bona crux, crux pretiosa, crux desiderabilis.» . . .

Fructus: Cruces et adversitates, quas Deus hodie mihi immittet, libenter accipiam, amore Redemptoris mei.

Oratio iaculatoria: O Maria, «fac ut portem Christi mortem, passionis fac consortem».

V. Miserere nostri etc.

Pater noster. Ave Maria.

Statio tertia.

Iesus prima vice procumbit.

V. Adoramus etc.

Meditatio: Perpende, quomodo Dominus sub dura et gravi trabe succumbat . . . quomodo omnibus membris labentis Iesu ictu vehementi quassatis, dolor vulnerum renovetur . . . quomodo crudeliter, velut iumentum prolapsum, verberibus et blasphemiis stimuleter, ut resurgat. . . .

Digitized by Google

Fructus: Crux repraesentat peccata nostra. «Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.» [1] «Iugum iniquitatum . . . impositum collo meo.» [2] Sub his succumbit Iesus. Orationi instabo, ne succumbam in tentationibus.

Oratio iaculatoria: «Dignare me laudare te, Virgo sacrata. Da mihi virtutem contra hostes tuos.»

V. Miserere nostri etc.

Pater noster. Ave Maria.

Statio quarta.

Iesus Matrem dolorosam obviam habet.

V. Adoramus etc.

Meditatio: Perpende, quomodo dulcissimam animam piissimae Matris doloris gladius pertranseat, quae moerebat et dolebat, pia Mater, dum videbat nati poenas inclyti. Quis est homo, qui non fleret. . . . Perpende, quomodo crescat dolor piissimi Filii, dum

[1] Is 53, 6.
[2] Lect. III in Coena Domini; Thr 1, 14.

Digitized by Google

Matris dilectissimae superabundantem tristitiam videt. . . .

Fructus: Maria, sicut Christo in via dolorosa astitit, ita mihi quoque in via ad caelum solatrix et adiutrix sit singularis; quare eam colam quotidie.

Oratio iaculatoria: Maria Virgo, «iter para tutum, ut videntes Iesum semper collaetemur» [1].

V. Miserere nostri etc.

Pater noster. Ave Maria.

Statio quinta.

Simon Cyrenaeus angariatur ad crucem portandam.

V. Adoramus etc.

Meditatio: Perpende innocentissimae victimae, iam per longas horas tormentis et ludibriis satiatae, vires exhaustas . . . ipsius verisimilem, ni succurratur, mortem iam instantem . . . ipsius summam derelictionem, qua fit, ut nemo

---

[1] Ave Maris stella.

Digitized by Google

illi opem ferat, nisi peregrinus, vi coactus. . . .

Fructus: Memor verbi Domini: «Qui non baiulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus» [1], laetus cum Cyrenaeo portabo crucem cum Iesu, imprimis illas cruces et difficultates, quas officia status mei secum ferunt.

Oratio iaculatoria: O Maria, per tuam intercessionem «suppliciter, sollicita prece, posco Virginei roboris aemulas vires, rebus in asperis» [2].

V. Miserere nostri etc.

Pater noster. Ave Maria.

Statio sexta.

Veronica sudario abstergit vultum Iesu.

V. Adoramus etc.

Meditatio: Perpende vehementes dolores, quos Iesus in sanctissimo vultu patitur, ut testantur dira vulnera et colluvies, quae exhibet

---

[1] Lc 14, 27. [2] Dom. III Sept. Hymn.

Digitized by Google

Veronicae velum . . . flebilem Iesu aspectum, quippe qui tam vehementer moveat hanc mulierem, ut, ludibria lictorum parvipendens, extremam Christi miseriam alleviare statuat. . . .

Fructus: Corde retinebo imaginem Iesu patientis, sicut S. Veronica in suo velo. Quoties miseros ac pauperes videbo, cogitabo me, dando eleemosynam, ipsum Dominum patientem alleviare, iuxta illud: «Quidquid uni ex minimis fecisti, mihi fecisti.» [1]

Oratio iaculatoria: «Sancta Mater, istud agas, crucifixi fige plagas cordi meo valide.» «Virgo singularis, inter omnes mitis, nos fac mites.»

V. Miserere nostri etc.

Pater noster. Ave Maria.

Statio septima.

Iesus secunda vice succumbit.

V. Adoramus etc.

Meditatio: Perpende, quam dolorosa sit haec via Iesu patientis,

[1] Mt 25, 40.

Digitized by Google

iuxta illa verba, quae s. Parasceves die sancta Ecclesia in ore ipsius ponit: «Conclusit vias meas lapidibus quadris: semitas meas subvertit.» [1] . . . In via aspera progrediens, vel potius reptans, pene exanimis Salvator, iterum procumbit, dum portam civitatis egreditur. . . . Truces lictores eum iterum verberibus afficiunt et insultibus lacessunt. . . .

Fructus: «Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est: exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes.» [2] Libenter portabo humiliationem quamcumque, qua me hodie afficiet quispiam.

Oratio iaculatoria: O Mater humiliata et contrita, «per te *virtutes, praesertim humilitatem,* hauriamus ex vulneribus Christi».

V. Miserere nostri etc.

Pater noster. Ave Maria.

---

[1] Thr 3, 9. [2] Hebr 13, 13.

Digitized by Google

Statio octava.

Iesus alloquitur mulieres lamentantes.

V. Adoramus etc.

Meditatio: Perpende, quam verum sit illud propheticum: «Non est species ei neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus . . . virum dolorum et scientem infirmitatem» [1], cum mulieres Ierosolymitanae eum plangentes adeo lamententur . . . quomodo, plenus amoris, Iesus, utut fatigatus, verba salutis, brevia et rigida tamen, ad ipsas dirigere velit. . . .

Fructus: «Non sis familiaris alicui mulieri.» [2] «Omnis sermo ad mulieres brevis sit et rigidus.» [3]

Oratio iaculatoria: «Virgo prudentissima», «inter rubeta lilium . . ., Syrtes dolosas amove,

---

[1] Is 53, 23.
[2] *Thomas a Kempis,* Imitatio Christi l. 1, c. 8.
[3] *S. Bonaventura,* Pur. consc. c. 14.

Digitized by Google

fluctus tot inter deviis tutam reclude semitam.» [1]

V. Miserere nostri etc.

Pater noster. Ave Maria.

Statio nona.

Iesus tertia vice procumbit.

V. Adoramus etc.

Meditatio: Perpende, quomodo tertia iam vice procumbat Iesus, in ascensu collis Calvariae petrosi et duri . . . quomodo omnia eius membra omniaque vulnera vehementem lapsus ictum repercutiant, non sine ingenti dolore . . . quomodo Iudaei et lictores, prae nimia crucifixionis cupiditate festinantes, tenerum agnum statim propellant ad locum supplicii, nulla requie data. . . .

Fructus: Iterati lapsus dolores sustinere voluit Iesus, ut mihi mereretur gratias, ne in peccata mea relaberer. Praecavebo relapsum in tale peccatum, de quo

[1] Festum Puritatis B. M. V. Hymn.

Digitized by Google

saepissime in s. confessione me accusare debeo . . . praecavebo tali modo . . .

Oratio iaculatoria: «Succurre cadenti, surgere qui curat», famulo, o Maria.

V. Miserere nostri etc.

Pater noster. Ave Maria.

Statio decima.

Iesus vestibus exuitur.

V. Adoramus etc.

Meditatio: Perpende amaritudinem, quam sensu gustus experiri vult innocentissimus Iesus, gustando fel oblatum. . . . Perpende, quomodo spoliatio vestimentorum manu rudi militari omnia vulnera rursus aperiat, quae in flagellatione tenerrimo corpori fuerant inflicta, ita ut haec vestimentorum spoliatio «iterata flagellatio» merito vocari possit. . . . Perpende summam confusionem, quam castissimus Iesus in ista denudatione persentire vult, ut expiet peccata luxuriae. . . .

Digitized by Google

Fructus: Per mortificationem sensuum, oculorum praesertim, colam castitatem, illud «lilium inter spinas».

Oratio iaculatoria: O Maria, «ave, princeps generosa, martyrumque prima rosa, virginumque lilium»[1], concede mihi, ut dolorosam mortificationem et immaculatam virginitatem tuam imitari possim.

V. Miserere nostri etc.

Pater noster. Ave Maria.

Statio undecima.

Iesus cruci affigitur.

V. Adoramus etc.

Meditatio: Perpende, quomodo lictores ictibus vehementibus Iesum clavibus cruci affigant . . . quomodo prae vehementia doloris lacrimae ex oculis Iesu exsiliant, se contrahant nervi, palpitent artus... quomodo Iesus in cruce erecta pendeat, spectaculum hominibus . . . quomodo s. Ecclesia, tanti doloris mota commiseratione profundis-

[1] Dom. III Sept. Resp. lect. 8.

Digitized by Google

sima, arborem crucis sic alloquatur: «Flecte ramos, arbor alta; tensa laxa viscera. . . . Et superni membra Regis tende miti stipite.»[1]

Fructus: «Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis eius.»[2] Crucifigam praesertim vitium dominans. Si (quod Deus avertat) ego reprobus efficiar, propter quodnam vitium erit? . . . Illud mortificabo. . . .

Oratio iaculatoria: O Maria, quae «Christo confixa eras cruci»[3], «fac me plagis *mortificationis* vulnerari».

V. Miserere nostri etc.

Pater noster. Ave Maria.

Statio duodecima.

Iesus moritur in cruce.

V. Adoramus etc.

Meditatio: Perpende, quomodo summus sacerdos novae legis

---

[1] Dom. Pass. Hymnus ad Laudes.
[2] Gal 5, 24. [3] Gal 2, 19.

Digitized by Google

semetipsum in sacrificium offerat, «ipse offerens, ipse et oblatio» [1]. . . . «Divina cuius caritas sacrum propinat sanguinem, almique membra corporis amor sacerdos immolat» [2] . . . quomodo victima innocens longa trium horarum agonia lente omnem sanguinem ad extremam guttulam usque effundat . . . quomodo plus patiatur, quam aliquis mortalium umquam passus sit, per coronam spineam, per plagas flagellationis, per crudelem manuum ac pedum perforationem, per sitim ardentissimam, per ignominiam nuditatis, per molestam corporis immobilitatem, per ludibria et insultus, per visum Matris dolorosissimae... quomodo tandem dolorifica exspiratione sacrificium consummet. . . .

Fructus: «Ita magnum, novum et iucundum tibi videri debet, cum celebras aut Missam audis, ac si eodem die Christus in cruce pen-

---

[1] *S. Aug.*, De civ. Dei l. 10, c. 20.
[2] Dom. in Albis Hymnus ad Vesp.

Digitized by Google

dens pro salute hominum pateretur et moreretur.» [1]

Oratio iaculatoria: «Regina martyrum, ora pro nobis, quae iuxta crucem Iesu constitisti.» «Sicut Filio tuo in cruce pendenti astitisti, ita et mihi misero assistere digneris, ut dignam et acceptabilem hostiam offerre valeam» aut digne s. sacrificio assistam.

V. Miserere nostri etc.

Pater noster. Ave Maria.

Statio tertia decima.

Corpus Iesu a cruce deponitur.

V. Adoramus etc.

Meditatio:

«O quot undis lacrimarum,
Quo dolore volvitur,
Luctuosa de cruento
Dum revulsum stipite,
Cernit ulnis incubantem
Virgo Mater Filium!
Os suave, mite pectus

[1] *Thomas a Kempis*, Imitatio Christi 4, 2.

Digitized by Google

Et latus dulcissimum,
Dexteramque vulneratam
Et sinistram sauciam,
Et rubras cruore plantas
Aegra tingit lacrimis.» [1]

Fructus: «In toto corde tuo gemitus Matris tuae ne obliviscaris, ut perficiatur propitiatio et benedictio.» [2]

Oratio iaculatoria: «Fac me tecum pie flere, Crucifixo condolere, donec ego vixero.»

V. Miserere nostri etc.

Pater noster. Ave Maria.

Statio quarta decima.

Iesus sepulchro novo conditur.

V. Adoramus etc.

Meditatio: Perpende, quomodo pretiosum Iesu corpus sepeliatur in monumento novo. . . . «Quis tibi sensus fuit (sic Mariam alloquitur Ecclesia), o Mater dolorum, dum Ioseph sindone Filium tuum

[1] Dom. III Sept. Hymnus ad Vesp.
[2] Ecclesia in festo Septem Dol.; Eccli 7, 29.

Digitized by Google

involvit et posuit eum in monumento?» . . . «Siccine separat amara mors?» [1] . . .

Fructus: «Sic te in omni factu et cogitatu debes tenere, quasi hodie esses moriturus.» [2] An sum paratus ad moriendum?

Oratio iaculatoria: «Christe, cum sit hinc exire, da per Matrem me venire ad palmam victoriae. Quando corpus morietur, fac ut animae donetur paradisi gloria. Amen.» «Maria, Mater gratiae, dulcis parens clementiae, tu nos ab hoste protege et mortis hora suscipe!»

V. Miserere nostri etc.

Pater noster. Ave Maria.

Orationes [3].

1. Tempore Adventus Domini.

Omnipotens Deus, cuius Unigeniti adventum et praeteritum credimus et futurum

---

[1] 1 Reg 15, 32.

[2] *Thomas a Kempis,* Imitatio Christi 1, 23.

[3] Hae orationes desumptae sunt ex Rituali saec. XII exeuntis, quod Marcianae (*Marchiennes* prope Cameracum in Gallia Septentrionali) conscriptum esse videtur; liber manu scriptus vero est res privata.

Digitized by Google

exspectamus, eiusdem adventus nos illustratione sanctifices et sua benedictione locupletes, quo a cunctis peccatorum contagiis liberati in praesentis vitae curriculo tanto hospite inveniamur digni et illius tremendi examinis diem exspectemus interriti. Quod ipse praestare digneris, cuius regnum et imperium sine fine permanet in saecula saeculorum. Amen.

Omnipotens Deus, nos placido vultu respice et in nos tuae benedictionis donum infunde. Et, qui hos dies incarnationis Unigeniti tui fecisti sollemnes, a cunctis praesentis et futurae vitae adversitatibus nos redde indemnes.

Et qui de adventu Redemptoris nostri secundum carnem devota mente laetamur, in secundo, cum in maiestate sua venerit, praemiis vitae aeternae ditemur. Quod ipse praestare digneris etc. (ut supra).

2. In Nativitate Domini.

Omnipotens Deus, qui Unigeniti tui sacratissimae nativitatis gaudium magnum pastoribus ab angelis voluisti nuntiari, ipse super nos benedictionis tuae gratissimum imbrem infundas atque ipso pastore nos ad aeternorum gaudiorum pascua aeterna perducas.

Et qui per eius incarnationem terrena caelestibus iunxisti, ipse internae pacis et bonae voluntatis nos nectare repleas et caelestis militiae consortes efficias. Quod ipse praestare digneris etc. (ut supra).

Digitized by Google

Omnipotens Deus, qui Filium tuum, qui panis est angelorum, in praesepi ecclesiae cibum esse fecisti fidelium animalium, tu nos et in praesenti saeculo degustare facias aeternorum dulcedinem gaudiorum et in futuro perducas ad societatem aeternorum praemiorum.

Quique Unigenitum tuum infantulum vilibus voluisti indui pannis, tu nos caelestium vestimentorum induas ornamentis. Quod ipse praestare digneris etc. (ut supra).

3. Tempore Quadragesimae.

Omnipotens Deus, ieiuniorum nostrorum victimas clementer accipias et tua nos benedictione dignos efficias. Mentes nostras ita parcimoniae bono contra vitia munias, praeceptorum tuorum doctrinis erudias, caritatis dono repleas, ut in omnibus tibi placeamus, quatenus praesentis Quadragesimae diebus celebratis ad paschalia festa purificatis cordibus accedere valeamus. Quod ipse praestare digneris etc. (ut supra).

4. In Resurrectione Domini.

Deus, qui per resurrectionem Unigeniti tui nobis contulisti et bonum redemptionis et decus adoptionis, tuae nobis conferas praemia benedictionis. Et quo redimente percepimus donum perpetuae libertatis, eo largiente consortes efficiamur aeternae haereditatis. Et cui consurreximus in baptismate credendo, adiungi mereamur in cae-

Digitized by Google

lesti regione bene vivendo. Quod ipse praestare digneris etc. (ut supra).

5. Die Pentecoste.

Deus, qui hodierna die discipulorum mentes Spiritus Paracliti infusione dignatus es illustrare, facias nos tua benedictione repleri et eiusdem Spiritus donis exuberare. Ille ignis, qui super discipulos apparuit, peccatorum nostrorum sordes expurget et sui luminis infusione corda nostra perlustret. Quique dignatus es, diversitatem linguarum in unius fidei confessione adunare, in eadem nos facias fide perseverare et per hanc ab spe ad speciem pervenire. Quod ipse praestare digneris etc. (ut supra).

6. Oratio quotidiana.

Benedicat nos trina maiestas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et mundet a vitiis omnibus. Virtutum merita multiplicet, recta consilia advocet, religiosa vota confirmet. Catholicae fidei nos documentis enutriat et in sanctis operibus perseverabiles reddat. Florere nos faciat et pie ac sobrie uti rerum praesentium copiis iustitia acquisitis. Repleat corda nostra spiritualibus donis et abundare faciat in nos semper perfectam gratiam caritatis. Quod ipse praestare digneris etc. (ut supra).

Digitized by Google

Pars IV.

Extractum e Rituali Romano.

Nota. Ante administrationem cuiuslibet Sacramenti sacerdos cum fructu recitabit *Veni Sancte Spiritus*, iuxta monitum S. Caroli Borromaei.

Ordo Baptismi parvulorum.

(Vide addit. 1.)

Sacerdos [1] interrogat [2].

N., quid petis ab Ecclesia Dei? [3]

---

[1] Superpelliceo et stola violacea indutus (Rit. Rom. hoc loco n. 51. C. S. R., 26 Martii 1859). Usus stolae bicoloris est licitus (C. S. R., 16 Martii 1859).

[2] Ad limen Ecclesiae (ib. n. 52). Sed prius interrogat, an infans sit suae Parochiae, masculus an femina, an sit domi baptizatus, et quinam sint patrini (ib. n. 53) et etiam quinam sint parentes et quodnam nomen imponendum (quatenus fieri potest imponantur nomina Sanctorum, ib. n. 54), et haec omnia statim describat in libro Baptismali (ib. in fine n. 34), et non in folio volante. — Caveat Sacerdos, ne infans exponatur nocivo aëri permeanti; et si nimis frigus est, in saeristia vel loco calefacto conferat Baptismum (*Capellmann*, Med. Past. D, I in fine; — ad quod Episcopus licentiam tribuere certo potest, iuxta Auctores) aqua calefacta (Rit. Rom. n. 7; *Capellmann* l. c.).

[3] Interrogationes certo semper fieri debent latine. In pluribus dioecesibus vero, vi indultus

Digitized by Google

Patrinus respondet:

Fidem.

Sacerdos:

Fides quid tibi praestat?

Patrinus respondet:

Vitam aeternam.

Sacerdos:

Si igitur vis ad vitam ingredi, serva mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et proximum tuum sicut te ipsum.

Deinde ter exsufflet leniter in faciem infantis et dicat semel:

Exi ab eo (vel ab ea), immunde spiritus, et da locum Spiritui Sancto Paraclito.

Postea pollice faciat signum crucis in fronte, et in pectore infantis, dicens:

Accipe signum crucis tam in fronte †, quam in corde †, sume fidem caelestium praeceptorum, et talis esto moribus, ut templum Dei iam esse possis.

---

vel consuetudinis, repetuntur vernacule (*De Herdt*, S. Lit. Praxis III, n. 160).

Digitized by Google

Oremus.

Preces nostras, quaesumus, Domine, clementer exaudi: et hunc electum tuum N. crucis dominicae impressione signatum perpetua virtute custodi: ut magnitudinis gloriae tuae rudimenta servans per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Deinde imponat manum super caput infantis, ac dicat:

Oremus.

Omnipotens, sempiterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum N., quem[1] ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem caecitatem cordis ab eo expelle: disrumpe omnes laqueos Satanae, quibus fuerat colligatus:

[1] In supplendis caerimoniis addatur: *dudum*.

Digitized by Google

aperi ei, Domine, ianuam pietatis tuae, ut signo sapientiae tuae imbutus, omnium cupiditatum foetoribus careat, et ad suavem odorem praeceptorum tuorum laetus tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem [1]. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Deinde sacerdos benedicat sal, quod semel benedictum alias ad eumdem usum deservire potest.

Benedictio salis.

Exorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis †, et in caritate Domini nostri Iesu Christi †, et in virtute Spiritus † Sancti. Exorcizo te per Deum vivum †, per Deum verum †, per Deum sanctum †, per Deum †, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos con-

[1] In supplendis caerimoniis addatur: *ut idoneus sit frui gratia Baptismi tui quem suscepit, salis percepta medicina.*

Digitized by Google

secrari praecepit, ut in nomine sanctae Trinitatis efficiaris salutare sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices †, et benedicendo benedicas †, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem.

R. Amen.

Deinde immittat modicum salis benedicti in os infantis, dicens:

Accipe sal sapientiae: propitiatio sit tibi in vitam aeternam.

R. Amen.

Sacerdos:

Pax tecum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus patrum nostrorum, Deus universae conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum

Digitized by Google

tuum N. respicere digneris propitius, et hoc [1] primum pabulum salis gustantem non diutius esurire permittas, quo minus cibo expleatur caelesti, quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens [2]. Perduc eum, Domine, quaesumus, ad novae regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Exorcizo te, immunde spiritus, in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti, ut exeas, et recedas ab hoc famulo Dei N. Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, et Petro mergenti dexteram porrexit.

Ergo maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da

---

[1] In supplendis caerimoniis omitte: *primum*.

[2] Sic dicatur: *Et quem ad novae regenerationis lavacrum perduxisti, quaesumus, Domine.*

Digitized by Google

honorem Deo vivo et vero, da honorem Iesu Christo Filio eius, et Spiritui Sancto, et recede ab hoc famulo Dei N., quia istum sibi Deus et Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam, et benedictionem fontemque Baptismatis vocare dignatus est.

Hic pollice in fronte signat infantem, dicens:

Et hoc signum sanctae crucis †, quod nos fronti eius damus, tu, maledicte diabole, numquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Mox imponit manum super caput infantis, et dicit:

Oremus.

Aeternam ac iustissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, auctor luminis et veritatis, super hunc famulum tuum N., ut digneris illum illuminare lumine intellegentiae tuae: munda eum, et

Digitized by Google

sanctifica: da ei scientiam veram [1], ut dignus gratia Baptismi tui effectus, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Postea Sacerdos imponit extremam partem stolae super infantem, et introducit eum in Ecclesiam, dicens:

N., ingredere in templum Dei, ut habeas partem cum Christo in vitam aeternam.

R. Amen.

Cum fuerint Ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad fontem cum susceptoribus coniunctis clara voce dicit [2]:

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae. Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine; passus

---

[1] In supplendis caerimoniis: *ut dignus sit frui gratia Baptismi tui, quem suscepit: teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus sit ad retinendam gratiam Baptismi tui.*

[2] Sacerdos debet latine, susceptores possunt vernacule recitare *Credo* et *Pater* (C. S. R., 30 Dec. 1881).

Digitized by Google

sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus; descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis: ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum; sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

Pater noster, qui es in caelis: sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.

Ac deinde, antequam accedat ad Baptisterium, dicat:

Exorcismus.

Exorcizo te, omnis spiritus immunde, in nomine Dei Patris omni-

Digitized by Google

potentis †, et in nomine Iesu Christi Filii eius, Domini et Iudicis nostri †, et in virtute Spiritus † Sancti, ut discedas ab hoc plasmate Dei N., quod Dominus noster ad templum sanctum suum vocare dignatus est, ut fiat [1] templum Dei vivi, et Spiritus Sanctus habitet in eo. Per eumdem Christum Dominum nostrum, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem.

R. Amen.

Postea Sacerdos digito accipiat de saliva oris sui, et tangat aures et nares infantis: tangendo vero aurem dexteram et sinistram, dicat:

Ephpheta, quod est Adaperire.

Deinde tangit nares, dicens:

In odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole; appropinquabit enim iudicium Dei.

Postea interrogat [2] baptizandum nominatim, dicens:

(Vide addit. II.)

N., abrenuntias Satanae?

---

[1] In supplendis caerimoniis dicatur: *ut fieret.*

[2] Prius latine, dein vernacule.

Digitized by Google

Respondet Patrinus:

Abrenuntio.

Et omnibus operibus eius?

R. Abrenuntio.

Et omnibus pompis eius?

R. Abrenuntio.

Deinde Sacerdos intingit pollicem in oleo catechumenorum, et infantem ungit in pectore, et inter scapulas in modum crucis, dicens:

Ego te linio † Oleo salutis in Christo Iesu Domino nostro, ut habeas vitam aeternam.

R. Amen.

Hic deponit stolam violaceam, et sumit aliam albi coloris.

Subinde pollicem et inuncta loca abstergit bombacio, vel re simili. Et interrogat expresso nomine baptizandum, Patrino respondente:

N., credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae?

R. Credo.

Credis in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, natum, et passum?

R. Credo.

Credis et in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam,

Digitized by Google

Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam aeternam?

R. Credo.

Subinde expresso nomine baptizandi, Sacerdos dicit:

N., vis baptizari?

Respondet patrinus:

Volo.

Tunc Patrino vel Matrina vel utroque (si ambo admittantur) infantem tenente [1], Sacerdos vasculo, seu urceolo accipit aquam baptismalem, et de ea ter fundit [2] super caput [3] infantis in modum crucis, et simul verba proferens, semel tantum distincte, et attente, dicit:

N., ego te baptizo in nomine Patris †, (fundat primo); et Filii † (fundat secundo); et Spiritus † Sancti (fundat tertio).

Ubi autem est consuetudo baptizandi per immersionem, Sacerdos accipit infantem, et advertens ne laedatur, caute im-

---

[1] Baptizandum physice tangant.

[2] Cave, ne aqua e capite infantis defluat in fontem baptismalem. Sed potius fons sit bipartitus: in una parte aqua munda baptismatis sit; in altera per canalem defluat aqua adhibita.

[3] Ad excludenda omnia dubia de valore Baptismi praestat baptizare in fronte (*Noldin*, Summa Theol. Mor. II, n. 60, sub c).

Digitized by Google

mergit, et trina mersione baptizat, et semel tantum dicit:

N., ego te baptizo in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti.

Mox Patrinus vel Matrina vel uterque simul infantem de sacro fonte levant, suscipientes illum de manu Sacerdotis.

Si vero dubitatur, an infans fuerit baptizatus, utatur hac forma:

N., si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti.

Deinde intingit pollicem in sacro Chrismate et ungit infantem in summitate capitis in modum crucis, dicens:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum: (hic inungit) ipse te liniat Chrismate salutis † in eodem Christo Iesu Domino nostro in vitam aeternam.

R. Amen.

Sacerdos:

Pax tibi.

R. Et cum spiritu tuo.

Digitized by Google

Tum bombacio aut re simili abstergit pollicem suum, et locum inunctum, et imponit capiti eius linteolum candidum loco vestis albae, dicens:

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, ut habeas vitam aeternam.

R. Amen.

Postea dat ei, vel Patrino candelam accensam dicens:

Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum: serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in aula caelesti, habeasque vitam aeternam et vivas in saecula saeculorum.

R. Amen.

Postremo dicit:

N., vade in pace, et Dominus sit tecum.

R. Amen.

Si infans vel adultus aegrotus adeo graviter laboret, ut periculum immineat ne pereat, antequam Baptismus perficiatur. Sacerdos, omissis quae Baptismum praece-

Digitized by Google

dunt, eum baptizet, ter, vel etiam semel infundens aquam super caput eius in modum crucis, dicens: *Ego te baptizo in nomine Patris* † etc. (ut supra p. 244).

Si non habeatur aqua baptismalis, et periculum impendeat, Sacerdos utatur aqua simplici.

Deinde si habeat Chrisma, liniat eum in vertice dicens: *Deus omnipotens* etc. (ut supra p. 245).

Postea dat ei linteolum candidum, dicens: *Accipe vestem* etc. (ut supra p. 246).

Ac demum det ei ceream candelam accensam, dicens: *Accipe lampadem ardentem* etc. (ut supra p. 246).

Si supervixerit, suppleantur alii ritus omissi.

Ordo supplendi omissa super baptizatum.

Cum urgente mortis periculo, vel alia cogente necessitate, parvulus sive adultus, sacris precibus ac caerimoniis praetermissis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit vel cessaverit periculum et ad Ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia suppleantur: idemque ordo ac ritus servetur, qui in baptismo parvulorum (si fuerit parvulus), seu adultorum (si fuerit adultus) praescriptus est. Excepto quod interrogatio, an velit baptizari, formaque Baptismi, et ablutio praetermittuntur, et quaedam orationes, et

Digitized by Google

Exorcismi suo quique loco immutati (ut supra suis locis notatum est).

Ordo administrandi Sacram Communionem infirmis [1].

Ingrediens locum [2], ubi iacet infirmus, Sacerdos dicat:

V. Pax huic domui.

R. Et omnibus habitantibus in ea.

Tum depositum Sacramentum super mensa, supposito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus: et mox accepta aqua benedicta, aspergit infirmum et cubiculum, dicens Antiphonam:

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor,

et primum versum Psalmi *Miserere*, cum *Gloria Patri* etc., *Sicut erat* etc.

---

[1] Non diversus ritus neque diversae preces pro s. Viatico et Communione, quae devotionis causa sumitur, adhibentur, sed prorsus eadem, excepta forma.

[2] Ibi paranda: 1. linteum mundum mento supponendum; 2. imago Crucifixi et duo cereae; 3. vas cum aqua communi; 4. vas cum aqua benedicta et aspergillo seu ramo palmarum (colligitur ex Rit. Rom. hoc loco). Quodsi simul Extr. Unctio administratur, adde 5. septem globulos bombacei et 6. medullam panis.

Digitized by Google

Deinde repetitur Antiphona: *Asperges me* etc. Postea:

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit caelum et terram.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de caelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

His dictis, accedat ad infirmum, ut cognoscat, num sit bene dispositus ad suscipiendum sacrum Viaticum, et utrum velit aliqua peccata confiteri; et illum audiat atque absolvat; quamvis prius deberet esse rite confessus, nisi necessitas aliter urgeat [1].

[1] Interim utens stola violacea. Quodsi tria Sacramenta simul administrantur, habetur hic ordo:

Digitized by Google

(Vide addit. III.)

Postea facta de more confessione generali, sive ab infirmo, sive eius nomine ab alio, Sacerdos dicit: *Misereatur* etc., *Indulgentiam* etc. [1]

Deinde facta genuflexione, accipit Sacramentum de vasculo, atque illud elevans ostendit infirmo dicens:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Et more solito ter dicat:

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Et infirmus simul cum Sacerdote dicat eadem verba, saltem semel, submissa voce. Tum Sacerdos dans infirmo Eucharistiam, dicat:

Accipe, frater (vel soror), Viaticum corporis Domini nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste

---

Confessio, Viaticum, Extrema Unctio, Benedictio Apostolica. «Non abs re erit aegrotum, dum mente pollet, monere ut, quando loqui non poterit et absolutionem cupiet, det signum aliquod determinatum, e. g. nutum capitis, manus elevationem, aut aliquid simile» (*Aertnys*, Theol. Past. n. 197., praesertim si eum habitualiter pravis cogitationibus peccare sciat confessarius.

[1] *tui, tuis, te, tuorum, tibi*, etiam si ex devotione sumitur (C. S. Rit., 16 Nov. 1906).

Digitized by Google

maligno, et perducat in vitam aeternam. Amen.

Si vero communio non datur per modum Viatici, dicat more ordinario:

Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.

Quod si mors immineat et periculum sit in mora, tunc dicto *Misereatur* etc., praedictis precibus omnibus, vel ex parte omissis, ei statim Viaticum praebeatur.

Postea Sacerdos abluat digitos, nihil dicens, et infirmo detur ablutio [1]. Deinde dicat:

V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro (vel sorori nostrae) sacro-

---

[1] Maioris commoditatis gratia, quia plerumque infirmus ablutionem sumere nequit aut non vult, consulunt auctores gravissimi hunc modum ablutionis: Purificatorium supponitur pollici et indici dexterae manus. Dein Sacerdos sinistra manu spargit aquam super indicem et pollicem dexterae, et abstergit ea purificatorio. De aqua reliqua nil curandum (*Baruffaldus* tit. 26, n. 186).

Digitized by Google

sanctum corpus Domini nostri Iesu Christi Filii tui, tam corpori, quam animae prosit ad remedium sempiternum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

(Vide addit. IV.)

His expletis, si altera particula Sacramenti superfuerit (superesse autem semper debet, praeterquam in casu iam dicto)[1], genuflectit, surgit et accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo[2] signum crucis super infirmum, nihil dicens, et reverenter illud deferens, ordine quo venerat, revertitur ad Ecclesiam, dicendo psalmum *Laudate Dominum de caelis* etc., et alios psalmos et hymnos, prout tempus feret.

Cum pervenerit ad Ecclesiam, ponit Sacramentum super altare, adorat, deinde dicit:

V. Panem de caelo praestitisti ei.

R. Omne delectamentum in se habentem.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

---

[1] Scil. «si longius aut difficilius iter sit faciendum» (Rit. Rom. tit. IV, c. 4, rubr. 9).

[2] Si non remanet s. Hostia in pyxide, *manu* potest signum crucis facere.

Digitized by Google

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Ordo ministrandi Sacramentum Extremae Unctionis [1].

Cum perventum fuerit ad locum, ubi iacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum [2] dicit:

V. Pax huic domui.

R. Et omnibus habitantibus in ea.

---

[1] Optima methodus annuntiandi infirmo mortem est haec: «Frater mi, sanatio tua non est desperata, in periculo tamen est; ideo expedit tibi, ut Sacramenta recipias» (*Aertnys*, Theol. Past. n. 194).

[2] Paranda in cubiculo: 1. imago Crucifixi; 2. candela cerea; 3. septem globuli bombacei; 4. medulla panis ad detergendos digitos; 5. vas cum aqua communi ad abluendos digitos; 6. aqua benedicta cum aspergillo, vel ramo palmarum. Haec colliguntur ex Rit. Rom. hoc loco (cf. p. 248, not. 2).

Digitized by Google

Deinde deposito oleo super mensam, superpelliceo stolaque violacea [1] indutus, aegroto crucem pie deosculandam porrigit; mox in modum crucis eum aqua benedicta, et cubiculum et circumstantes aspergit, dicens antiphonam: *Asperges me, Domine* etc. Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Deinde piis verbis illum consoletur, et de huius sacramenti vi atque efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat: et quantum opus sit, eius animam confirmet et in spem erigat vitae aeternae.

(Vide addit. V.)

Postea dicat:

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit caelum et terram.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Introeat, Domine Iesu Christe, domum hanc sub nostrae humilitatis ingressu, aeterna felicitas, divina prosperitas, serena laetitia,

---

[1] Si igitur prius s. Viaticum ministravit, iam immutanda est stola in violaceam.

Digitized by Google

caritas fructuosa, sanitas sempiterna: effugiat ex hoc loco accessus daemonum: adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat omnis maligna discordia. Magnifica, Domine, super nos nomen sanctum tuum; et benedic † nostrae conversationi: sanctifica nostrae humilitatis ingressum, qui sanctus et qui pius es, et permanes cum Patre et Spiritu Sancto in saecula saeculorum. Amen.

Oremus, et deprecemur Dominum nostrum Iesum Christum, ut benedicendo benedicat † hoc tabernaculum, et omnes habitantes in eo, et det eis Angelum bonum custodem, et faciat eos sibi servire ad considerandum mirabilia de lege sua: avertat ab eis omnes contrarias potestates: eripiat eos ab omni formidine et ab omni perturbatione, ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Oremus.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de caelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quae orationes, si tempus non patiatur, ex parte, vel in totum poterunt omitti. Tum de more facta confessione generali, latino vel vulgari sermone, Sacerdos dicat: *Misereatur* etc., *Indulgentiam* etc. [1]

Antequam parochus incipiat ungere infirmum, moneat astantes, ut pro illo orent, et ubi commodum fuerit pro loco et tempore, et astantium numero, vel qualitate, recitent septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniis, vel alias preces, dum ipse Unctionis Sacramentum administrat. Mox dicat:

In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti, exstinguatur in te omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum, et

---

[1] Itaque, si simul Viaticum delatum est, iam secunda vice dicendum: *Confiteor* (S. C. Indulg., 5 Febr. 1841).

Digitized by Google

per invocationem omnium sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum. Amen.

Deinde intincto pollice [1] in oleo sancto, in modum crucis ungit infirmum in partibus hic subscriptis, aptando proprio loco verba formae in hunc modum:

Ad oculos [2].

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per *visum* deliquisti. Amen.

Minister vero, si est in Sacris, vel ipsemet Sacerdos, post quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacii, vel rei similis, eumque in vase

---

[1] Pro singulo sensu intingatur pollex. In periculo contagionis uti licet virgulis, v. g. ligneis (postea comburendis) — (C. S. R., 9 Maii 1857). Cave, ne virga usurpata rursus intingatur (*Capellmann,* Med. Past. D, III).

[2] Commodius oculi clauduntur, si fieri potest. Incipiendum ab oculo dextro. Unica forma, sicut et pro omnibus membris geminis. Non prius absolvatur forma, quam inunctum sit utrumque membrum (Rit. n. 17).

Digitized by Google

mundo reponat et ad Ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque proiciat in Sacrarium.

Ad aures [1].

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per *auditum* deliquisti. Amen.

Ad nares [2].

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per *odoratum* deliquisti. Amen.

Ad os, compressis labiis [3].

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per *gustum et locutionem* deliquisti. Amen [4].

---

[1] Commodius in infima auricula sive lobulo.

[2] Unica unctione; commodius in parte superiori, i. e. versus frontem.

[3] Si infirmus labia comprimere nequit, sufficit alterutrius labii inunctio.

[4] In nonnullis dioecesibus, ex Apostolica concessione, *in viris*, loco unctionis renum, adhibe-

Digitized by Google

Ad manus.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per *tactum* deliquisti. Amen.

Et adverte, quod Sacerdotibus, ut dictum est, manus non iniunguntur interius, sed exterius.

Ad pedes [1].

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per *gressum* deliquisti. Amen.

Ad lumbos sive renes.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per lumborum delectationem deliquisti. Amen.

---

tur *unctio ad pectus, post unctionem ad os*, sub hac forma: Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per cogitationes et affectus cordis deliquisti. Amen.

[1] Supra vel infra, prout commodius fieri potest. Commodius fit *supra* pedem, ne oriatur pruritus.

Digitized by Google

Haec autem unctio ad lumbos, ut dictum est, omittitur semper in feminis, et etiam in viris, qui ob infirmitatem vix, aut sine periculo moveri non possunt.

Quibus omnibus peractis Sacerdos dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Salvum fac servum tuum [1].

R. Deus meus, sperantem in te.

V. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.

R. Et de Sion tuere eum.

V. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

R. A facie inimici.

V. Nihil proficiat inimicus in eo.

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

---

[1] Vel *ancillam tuam*. Et sic deinceps (C. S. R., 12 Aug. 1854).

Digitized by Google

Oremus.

Domine Deus, qui per Apostolum tuum Iacobum locutus es: infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei: cura, quaesumus, Redemptor noster, gratia Sancti Spiritus languores istius infirmi, eiusque sana vulnera, et dimitte peccata atque dolores cunctos mentis et corporis ab eo expelle, plenamque interius et exterius sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiae tuae restitutus, ad pristina reparetur officia: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus, in saecula saeculorum. Amen.

Oremus.

Respice, quaesumus Domine, famulum tuum N. in infirmitate

Digitized by Google

sui corporis fatiscentem, et animam refove, quam creasti: ut castigationibus emendatus, se tua sentiat medicina salvatum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui benedictionis tuae gratiam aegris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis: ad invocationem tui nominis benignus assiste; ut famulum tuum ab aegritudine liberatum et sanitate donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiae tuae sanctae, cum omni desiderata prosperitate, restituas. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Ad extremum, pro personae qualitate, salutaria monita breviter praebere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, et ad fugandas daemonum tentationes roboretur.

Digitized by Google

Extrema Unctio in casu mortis imminentis.

(Iuxta Decr. S. Officii et probatos Auctores.)

In casu mortis imminentis sufficit (non tantum quoad liceitatem, sed etiam quoad validitatem) haec forma:

Per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.

(Decr. S. Officii, 25 Apr. 1906.)

In casu proinde verae necessitatis haec unica statuta forma cum unica unctione in aliquo sensu, vel in pectore, vel consultius *in fronte* tamquam in summa omnium sensuum sede, licite et valide adhiberi potest, immo et debet.

(Acta S. Sedis 1906, p. 274.)

Si autem supervivat infirmus, 1. certo addendae sunt *Orationes omissae*, 2. non autem repetendae sunt singulae unctiones in singulis sensibus sub suis particularibus formis.

(*Noldin*, Summa Theol. Mor. II, n. 452.)

Digitized by Google

Ritus Benedictionis Apostolicae in articulo mortis

a sacerdotibus ad id delegatis impertiendae.

(Iuxta Rituale Romanum.)

Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis, impertienda iisdem est, etiam si postea linguae ceterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint [1]. Excommunicatis vero, impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi iacet infirmus, dicat: *Pax huic domui* etc., ac deinde aegrotum, cubiculum et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam: *Asperges me* etc.

Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum

---

[1] Etiam pueris ante Primam Communionem (C. S. R., 16 Dec. 1826), modo peccare potuerint.

Digitized by Google

actum contritionis; de huius Benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit.

Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore, ut ex divinae munificentiae largitate poenarum remissionem et vitam sit consecuturus aeternam [1].

(Vide addit. VI.)

Postea dicat:

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit caelum et terram.

Antiphona: Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (vel ancillae tuae) neque vindictam sumas de peccatis eius.

---

[1] Pro *valore* requiritur: 1. formula haec praescripta; 2. delegatio Sacerdotis; 3. mortis periculum, etsi non statim imminens (S. C. Indulg., 19 Dec. 1885); 4. si infirmus mente compos est (S. C. Indulg., 23 Sept. 1775, sub 6), invocatio (contrito corde) nominis *Iesu* ore vel, si nequeat, corde; 5. status gratiae et intentio, saltem interpretativa; 6. acceptio mortis e manu Dei (si mente compos est).

Digitized by Google

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam, et sic deinceps).

R. Deus meus, sperantem in te.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem: secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N., quem tibi vera fides et spes christiana commendant. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam

Digitized by Google

clementer indulge: ut eius anima in hora exitus sui te iudicem propitiatum inveniat, et in sanguine eiusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Tum dicto ab uno ex Clericis astantibus *Confiteor* etc., Sacerdos dicat *Misereatur* etc.[1] Deinde:

Dominus noster Iesus Christus, Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti: et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo.

In nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

---

[1] Si s. Viaticum, Extrema Unctio et Benedictio Apostolica *simul* administrantur, iam tertia vice dicendum *Confiteor* (S. C. Indulg., 5 Febr. 1841, sub 6).

Digitized by Google

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis et futurae vitae poenas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater †, et Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur.

(Hucusque omnia ex Rit. Rom.)

Benedictio Apostolica in imminenti mortis periculo.

Sacerdos statim incipiat, dicendo:

Dominus noster etc.

Et **si mors proxime urgeat,** dicat:

Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

(Ita omnino valide et tute, iuxta Edit. Typicam Brev. Rom. anni 1885, et decretum C. S. R. 8 Martii 1879.)

Digitized by Google

Ordo commendationis animae [1].

(Iuxta Breviarium Romanum.)

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Sancta Maria, — Ora pro eo.

---

[1] Accendatur candela ante Litanias (Rit. Rom. c. 7, rubr. 3). Non est necesse, ut ipse moribundus candelam manu teneat, quia hoc nullibi praescribitur, et nimis molestum plerumque esset morienti. Neque nimis propinque eius oculis admoveatur, quia hoc oculis fractis nimis molestum esset. — Crux saepius osculanda praebeatur infirmo et in conspectu eius ponatur, ut spem salutis sumat (ib. rubr. 2). Item imago B. Mariae Virginis ob oculos cuiusvis infirmi ponatur (ib. c. 4, rubr. 13). Optima methodus esse videtur, ut Sacerdos haec latine submissa voce recitet prope moribundum, et simul laici vernacule, submissa voce, paulo remotius, puta in cubiculo vicino, recitent Rosarium et Litanias. Sacerdos (interim saepius interrumpens preces suas) vel aliquis familiaris moribundo suggerat *lente* preces iaculatorias et praesertim actus contritionis (cf. Resp. S. C. C. 23 Martii 1879). Nec utatur precibus aut formulis novis, sed quas bene cognoscit infirmus. Saepius pausetur ad requiem dandam. Et (ut monet *Aertnys*, Theol. Past. n. 197) Sacerdos saepius morienti absolutionem impertiatur, praesertim si novit eum in vita anteacta habitualiter peccasse pravis cogitationibus, aut parum aequo animo mortem acceptare. Extra hos casus sufficit singulis tribus quattuorve horis absolutionem dare; frequentius tamen, si iamiam moriturus est (ib.). Saepius aqua benedicta aspergatur infirmus (Rit. Rom. c. 4, rubr. 13), ita tamen ut non molestum sit ipsi.

Digitized by Google

Omnes sancti Angeli et Archangeli, — Orate pro eo.
Sancte Abel, [1]
Omnis chorus Iustorum,
Sancte Abraham,
Sancte Ioannes Baptista,
Sancte Ioseph,
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae,
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Ioannes,
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae,
Omnes sancti Discipuli Domini,
Omnes sancti Innocentes,
Sancte Stephane,
Sancte Laurenti,
Omnes sancti Martyres,
Sancte Sylvester,
Sancte Gregori,
Sancte Augustine,
Omnes sancti Pontifices et Confessores,

---

[1] Ora (orate) pro eo.

Digitized by Google

Sancte Benedicte,[1]
Sancte Francisce,
Sancte Camille,
Sancte Ioannes de Deo,
Omnes sancti Monachi et Eremitae,
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Lucia,
Omnes sanctae Virgines et Viduae,
Omnes Sancti et Sanctae Dei, — Intercedite pro eo.
Propitius esto, — Parce ei, Domine.
Propitius esto, — Libera eum, Domine.
Propitius esto,[2]
Ab ira tua,
A periculo mortis,
A mala morte,
A poenis inferni,
Ab omni malo,
A potestate diaboli,
Per nativitatem tuam,
Per crucem et passionem tuam,
Per mortem et sepulturam tuam,

---

[1] Ora (orate) pro eo.
[2] Libera eum, Domine.

Digitized by Google

Per gloriosam resurrectionem tuam, [1]
Per admirabilem ascensionem tuam,
Per gratiam Spiritus Sancti Paracliti,
In die iudicii,
Peccatores, — Te rogamus audi nos.
Ut ei parcas, — Te rogamus audi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Deinde cum in agone sui exitus anima anxiatur, dicuntur sequentes orationes.

Oratio [2].

Proficiscere, anima christiana, de hoc mundo in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit: in nomine Iesu Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est: in

---

[1] Libera eum, Domine.

[2] Cave, ne, alte proferendo orationes sequentes, nimium vehementer conturbes infirmum, praesertim si timidus est. Posses enim sic accelerare mortem (ita monet *De Herdt*, S. Lit. Praxis III, n. 218).

Digitized by Google

nomine Spiritus Sancti, qui in te effusus est: in nomine Angelorum et Archangelorum: in nomine Thronorum et Dominationum: in nomine Principatuum et Potestatum: in nomine Cherubim et Seraphim: in nomine Patriarcharum et Prophetarum: in nomine sanctorum Apostolorum et Evangelistarum: in nomine sanctorum Martyrum et Confessorum: in nomine sanctorum Monachorum et Eremitarum: in nomine sanctarum Virginum, et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei. Hodie sit in pace locus tuus, et habitatio tua in sancta Sion. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Oratio.

Deus misericors, Deus clemens, Deus qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata poenitentium deles, et praeteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas: respice propitius super

Digitized by Google

hunc famulum tuum N., et remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est: et unitati corporis Ecclesiae membrum redemptionis annecte. Miserere Domine gemituum, miserere lacrimarum eius: et non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuae sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Commendo te omnipotenti Deo, carissime frater, et ei, cuius es creatura, committo: ut; cum humanitatis debitum morte interveniente persolveris, ad auctorem tuum, qui te de limo terrae formaverat, revertaris. Egredienti itaque animae tuae de corpore, splendidus Angelorum coetus occurrat: iudex Apostolorum tibi senatus adveniat: candidatorum

Digitized by Google

tibi Martyrum triumphator exercitus obviet: liliata rutilantium te Confessorum turma circumdet: iubilantium te Virginum chorus excipiat: et beatae quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat: mitis atque festivus Christi Iesu tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi iugiter interesse decernat. Ignores omne quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus Satanas cum satellitibus suis: in adventu tuo te comitantibus Angelis contremiscat, atque in aeternae noctis chaos immane diffugiat. Exsurgat Deus, et dissipentur inimici eius: et fugiant, qui oderunt eum, a facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei: et iusti epulentur, et exsultent in conspectu Dei. Confundantur igitur et erubescant omnes tartareae legiones, et ministri Satanae iter tuum impedire

Digitized by Google

non audeant. Liberet te a cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te ab aeterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus Filius Dei vivi intra paradisi sui semper amoena virentia, et inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat, atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, et praesens semper assistens, manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina Beatorum, contemplationis divinae dulcedine potiaris in saecula saeculorum.

R. Amen.

Oratio.

Suscipe, Domine, servum tuum in locum sperandae sibi salvationis a misericordia tua.

R. Amen.

Digitized by Google

Libera, Domine, animam servi tui ex omnibus periculis inferni, et de laqueis poenarum, et ex omnibus tribulationibus.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Henoch et Eliam de communi morte mundi.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Noë de diluvio.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Abraham de Ur Chaldaeorum.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Iob de passionibus suis.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Isaac de hostia, et de manu patris sui Abrahae.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Lot de Sodomis, et de flamma ignis.

Digitized by Google

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis regis Aegyptiorum.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Danielem de lacu leonum.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, et de manu regis iniqui.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti David de manu Regis Saul, et de manu Goliae.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Petrum et Paulum de carceribus.

R. Amen.

Digitized by Google

Et sicut beatissimam Theclam virginem et martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris animam huius servi tui, et tecum facias in bonis congaudere caelestibus.

R. Amen.

Oratio.

Commendamus tibi, Domine, animam famuli tui N., precamurque te, Domine Iesu Christe Salvator mundi, ut propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce, Domine, creaturam tuam, non a diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo et vero: quia non est alius Deus praeter te, et non est secundum opera tua. Laetifica, Domine, animam eius in conspectu tuo, et ne memineris iniquitatum eius antiquarum, et ebrietatum, quas suscitavit furor, sive fervor mali desiderii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem, et Filium,

Digitized by Google

et Spiritum Sanctum non negavit, sed credidit, et zelum Dei in se habuit, et Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit.

Oratio.

Delicta iuventutis, et ignorantias eius, quaesumus, ne memineris, Domine; sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuae. Aperiantur ei caeli, collaetentur illi Angeli. In regnum tuum, Domine, servum tuum suscipe. Suscipiat eum sanctus Michael Archangelus Dei, qui militiae caelestis meruit principatum. Veniant illi obviam sancti Angeli Dei, et perducant eum in civitatem caelestem Ierusalem. Suscipiat eum beatus Petrus Apostolus, cui a Deo claves regni caelestis traditae sunt. Adiuvet eum sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo sanctus Ioannes, electus Dei Apostolus, cui revelata sunt secreta caelestia. Orent pro

Digitized by Google

eo omnes sancti Apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercedant pro eo omnes Sancti et Electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc saeculo sustinuerunt, ut vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam regni caelestis, praestante Domino nostro Iesu Christo: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum.

R. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicuntur hi Psalmi, videlicet Ps *Confitemini* et totus Psalmus *Beati immaculati* per Horas distributus.

In Exspiratione [1].

(Iuxta Rituale Romanum.)

Cum vero tempus exspirandi institerit, tunc maxime ab omnibus circumstantibus,

---

[1] Cavendum, ne mors supra modum gravis et horribilis fiat per eiulationes et lamentationes omnis Christiani sensus expertes, sed pia alloquia et breves orationes iaculatoriae allevant mortis momentum. — Curandum, ut plurimum aëris recentis in cubiculum admittatur, et ut aliquis morientis sitim expleat dando ipsi aquam (vel aquam mixtam vino) cochleari, vel humectando labia et linguam (*Capellmann*, Med. Past. I, n. 9).

Digitized by Google

flexis genibus, vehementer orationi instandum est. Ipse vero moriens si potest, dicat; vel si non potest, assistens, sive Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet: *Iesu, Iesu, Iesu.* Quod, et ea quae sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam saepius repetat.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Domine Iesu Christe, suscipe spiritum meum. Sancta Maria, ora pro me. Maria, Mater gratiae, Mater misericordiae, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

(Vide addit. VII.)

Egressa anima de corpore, statim dicatur hoc:

R. Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini: * Suscipientes animam eius: * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

V. Suscipiat te Christus qui vocavit te, et in sinum Abrahae Angeli deducant te.

R. Suscipientes animam eius: * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

Digitized by Google

V. Requiem aeternam dona ei, Domine, et lux perpetua luceat ei. *Offerentes eam in conspectu Altissimi.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Requiem aeternam dona ei, Domine.

R. Et lux perpetua luceat ei.

V. A porta inferi.

R. Erue, Domine, animam eius.

V. Requiescat in pace.

R. Amen.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui N., ut defunctus saeculo tibi vivat: et quae per

Digitized by Google

fragilitatem humanae conversationis peccata commisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen [1].

Exequiarum ordo.

(Ex Rituali Romano.)

Constituto tempore, quo corpus ad ecclesiam deferendum est, convocetur Clerus et alii, qui funeri interesse debent· et in parochialem, vel in aliam ecclesiam, iuxta loci consuetudinem, ordine conveniant; ac datis certis campanae signis, eo modo et ritu, quo in eo loco fieri solet, parochus indutus superpelliceo et stola nigra, vel etiam pluviali eiusdem coloris, clerico praeferente crucem, et alio aquam benedictam, ad domum defuncti una cum aliis procedit. Distribuuntur cerei, et accenduntur intorticia. Mox ordinatur processio, praecedentibus laicorum confraternitatibus, si adsint; tum sequitur Clerus regularis, et saecularis per ordinem: binique proce-

---

[1] Moneat Sacerdos astantes, ut cogitent, plus defuncto profuturas preces quam lacrimas (*Aertnys*, Theol. Past. n. 201). Aspergatur saepius corpus aqua benedicta (Rit. Rom. hoc loco rubr. 4). Per 24 horas corpus in lecto remaneat, nec antequam praeterierit hoc tempus, denudandum aut lavandum est, nec os panno astringatur (*Capellmann*. Med. Past. I, n. 9).

Digitized by Google

dunt, praelata cruce, devote Psalmos, ut infra, decantantes, Parocho praecedente feretrum cum luminibus; inde sequuntur alii funus comitantes, et pro defuncto Deum rite deprecantes sub silentio.

Parochus vero, antequam cadaver efferatur, illud aspergit aqua benedicta, mox dicit Antiphonam Si iniquitates cum Psalmo De profundis etc. (p. 8). In fine:

Requiem aeternam dona ei, Domine, et lux perpetua luceat ei.

Repetit Antiphonam totam:

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Deinde cadaver effertur, Parochusque de domo procedens, statim gravi voce intonat Antiphonam:

Exultabunt Domino,

et Cantores inchoant

Ps 50. Miserere mei Deus etc.,

Clero alternatim prosequente Ps.

Antiphona. Exultabant Domino ossa humiliata.

Ac si longitudo itineris postulaverit, dicantur Psalmi Graduales: *Ad Dominum cum tribularer* etc. vel alii Psalmi ex Officio mortuorum, et in fine cuiuslibet Psalmi dicitur: *Requiem aeternam dona ei, Do-*

Digitized by Google

mine etc., qui Psalmi devote, distincte gravique voce recitari debent usque ad ecclesiam.

Ad ingressum ecclesiae repetitur Antiphona *Exultabunt Domino ossa humiliata.* Deinde ecclesiam ingressi, cantant Responsorium, cantore incipiente, et Clero alternatim respondente, videlicet:

R. Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini: * Suscipientes animam eius: * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

V. Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahae Angeli deducant te.

R. Suscipientes animam eius: * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

V. Requiem aeternam dona ei, Domine, et lux perpetua luceat ei. * Offerentes eam in conspectu Altissimi

Deposito feretro in medio ecclesiae, ita ut defuncti pedes, si fuerit laicus, sint versus altare maius; si vero fuerit Sacerdos, ut dictum est, caput sit versus ipsum altare, et cereis accensis circa corpus, statim, nisi quid impediat, ut infra monebitur [1],

[1] Rit. Rom. hoc loco rubr. 16.

Digitized by Google

dicatur Officium mortuorum, cum tribus Nocturnis et Laudibus, ut infra ponitur[1]; et duo ex Clero incipiant absolute Invitatorium:

Regem, cui omnia vivunt: Venite, adoremus.

Et repetitur a Clero:

Regem, cui omnia vivunt: Venite, adoremus.

Psalmus *Venite, exultemus* etc. et duplicantur Antiphonae.

Ad finem Officii post Antiphonam Cantici *Benedictus* etc., *Ego sum resurrectio* etc., dicitur *Pater noster* secreto.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. A porta inferi.

R. Erue, Domine, animam eius.

V. Requiescat in pace.

R. Amen.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

---

[1] Rit. Rom. hoc loco c. IV.

Digitized by Google

Oremus.

Absolve, quaesumus Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et Electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Dum in Officio dicuntur Laudes, Sacerdos cum ministris paratur ad celebrandam Missam solemnem pro defuncto, si tempus congruens fuerit, ut in die depositionis in Missali Romano.

Finita Missa Sacerdos deposita casula, seu planeta, et manipulo, accipit pluviale nigri coloris; et subdiaconus accipit crucem, et accedit ad feretrum, et se sistit ad caput defuncti cum cruce, medius inter duos acolythos seu ceroferarios cum candelabris et candelis accensis; et omnes alii de Clero veniunt ordinatim in gradu suo cum candelis accensis, et stant in circuitu feretri: tum sequitur Sacerdos cum Diacono, et Assistente, aliisque ministris, et facta reverentia altari, sistit se contra crucem ad pedes defuncti [1], retro

[1] Si defunctus est Sacerdos, ponatur crux ad caput defuncti inter feretrum et altare (C. S. R., 3 Sept. 1746) et celebrans se sistit contra crucem ad pedes defuncti. Sed si corpus Sacerdotis ne moraliter quidem adest, crux ponatur inter fere-

Digitized by Google

astantibus ei a sinistris duobus acolythis, uno cum thuribulo et navicula incensi, altero cum vase aquae benedictae et aspersorio, et acolytho, seu Clerico tenente librum, absolute dicit [1] sequentem Orationem:

Non intres in iudicium cum servo tuo [2], Domine, quia nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum, quaesumus, tua iudicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei christianae commendat: sed gratia tua illi succurrente, mereatur evadere iudicium ultionis, qui dum viveret, insignitus est signaculo sanctae Trinitatis: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R. Amen.

Deinde cantore incipiente, Clerus circumstans cantat sequens

Resp. Libera me Domine de morte aeterna in die illa tremenda:

---

trum et ianuam Ecclesiae, sicut pro laicis (C. S. R., 3 Sept. 1746 et 20 Iunii 1899).

[1] Vel cantat in tono feriali collectarum.

[2] Haec verba non mutantur pro femina, nec pro pluribus (C. S. R., 13 Aug. 1697 et 21 Ian. 1741).

Digitized by Google

Quando caeli movendi sunt et terra: Dum veneris iudicare saeculum per ignem.

V. Tremens factus sum ego et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. Quando.

V. Dies illa, dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde. Dum.

V. Requiem aeternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

Repet. Libera me, Domine usque ad *V.* Tremens.

Dum cantatur praedictum Responsorium, Sacerdos, acolytho et Diacono ministrante, accipit incensum de navicula, et ponit in thuribulum; et finito Responsorio, cantor cum primo Choro dicit:

Kyrie eleison.

Et secundus Chorus respondet:

Christe eleison.

Deinde omnes simul dicunt:

Kyrie eleison.

Mox Sacerdos dicit [1] alta voce: *Pater noster*, et secreto dicitur ab omnibus;

[1] Vel cantat.

Digitized by Google

et ipse interim accipit a Diacono vel acolytho aspersorium aquae benedictae, et facta profunda inclinatione cruci, quae est ex adverso, Diacono, seu ministro genuflectente, et fimbrias pluvialis sublevante, circumiens feretrum (si transit ante Sacramentum, genuflectit [1]), aspergit corpus defuncti; deinde reversus ad locum suum, Diacono ministrante, accipit thuribulum [2], et eodem modo circuit feretrum, et corpus incensat, ut asperserat: postea reddito thuribulo ei, a quo acceperat, stans in loco suo, acolytho, seu alio ministro tenente librum apertum ante se, dicit:

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. A porta inferi.

R. Erue, Domine, animam eius.

V. Requiescat in pace.

R. Amen.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

---

[1] Cruci profunde se inclinat (Miss. Rom. Rit. celebr. Miss. XIII 4).

[2] Benedicit incensum (ib.).

Digitized by Google

Oremus [1].

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, te supplices exoramus pro anima famuli tui N., quam hodie de hoc saeculo migrare iussisti, ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed iubeas eam a sanctis Angelis suscipi, et ad patriam paradisi perduci: ut quia in te speravit, et credidit, non poenas inferni sustineat, sed gaudia aeterna possideat. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Si defunctus fuerit Sacerdos, in oratione dicatur:

Pro anima famuli tui N. Sacerdotis, quam etc.

Finita Oratione, corpus defertur ad sepulcrum, si tunc deferendum sit: et dum portatur, Clerici cantant Antiphonam [2]:

In paradisum deducant te Angeli: in tuo adventu suscipiant te

---

[1] Si cantat, utatur tono feriali collectarum.

[2] Haec Antiphona cantari potest a Choro, dum corpus ex ecclesia effertur (C. S. R., 28 Iulii 1832).

Digitized by Google

Martyres, et perducant te in civitatem sanctam Ierusalem. Chorus Angelorum te suscipiat, et cum Lazaro quondam paupere aeternam habeas requiem.

Cum autem pervenerit ad sepulcrum, si non est benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc Orationem:

Oremus.

Deus, cuius miseratione animae fidelium requiescunt, hunc tumulum benedicere dignare, eique Angelum tuum sanctum deputa custodem: et quorum quarumque corpora hic sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolve vinculis delictorum, ut in te semper cum Sanctis tuis sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Dicta Oratione, Sacerdos aqua benedicta aspergat, deinde incenset corpus defuncti, et tumulum [1].

---

[1] Si sepulcrum non est benedicendum, etiam ipsius corporis aspersio et incensatio omittuntur (*Cavalieri* t. III, dec. 174, n. 27), nisi adsit consuetudo. Deinde corpus in sepulcrum immittitur, et statim dicit Sacerdos: *Ego sum* etc.

Digitized by Google

Quod si corpus tunc ad sepulturam non deferatur, omissa Antiphona: *In paradisum* etc. et benedictione sepulcri, si iam est benedictum, prosequatur Officium, ut infra, quod numquam omittitur; et intonet

Antiph. Ego sum.

Canticum Zachariae.

(Lc 1 g.)

Benedictus Dominus Deus Israel : quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae:

Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum eius:

Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium, qui oderunt nos:

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris : et memorari testamenti sui sancti.

Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis:

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.

Digitized by Google

In sanctitate et iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis : praeibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius : in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri : in quibus visitavit nos, oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent : ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Requiem aeternam etc.

Et repetitur

Antiphona. Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.

Postea Sacerdos dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

Interim corpus aspergit.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

Digitized by Google

R. Sed libera nos a malo.
V. A porta inferi.
R. Erue, Domine, animam eius.
V. Requiescat in pace.
R. Amen.
V. Domine, exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Fac, quaesumus, Domine, hanc cum servo tuo defuncto (vel famula tua defuncta) misericordiam, ut factorum suorum in poenis non recipiat vicem, qui (vel quae) tuam in votis tenuit voluntatem: ut sicut hic eum (vel eam) vera fides iunxit fidelium turmis, ita illic eum (vel eam) tua miseratio societ angelicis chorus. Per Christum Dominum nostrum.
R. Amen.
V. Requiem aeternam dona ei, Domine [1].

[1] Hunc versum pronuntians, Sacerdos dextera facit signum crucis supra loculum (Miss. Rom., Rit. celebr. Miss. XIII 4).

Digitized by Google

R. Et lux perpetua luceat ei.
V. Requiescat in pace.
R. Amen.
V. Anima eius, et animae omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace.
R. Amen.

Deinde a sepultura in ecclesiam vel in sacristiam revertentes, dicant sine cantu Antiphonam *Si iniquitates*, cum Psalmo *De profundis* etc. (p. 8), *Requiem aeternam* etc.

Ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum.

(Ex Rituali Romano.)

Parochus Matrimonium celebraturus, publicationibus factis tribus diebus festis, si nullum obstet legitimum impedimentum, in Ecclesia, superpelliceo et alba stola indutus, adhibito uno saltem Clerico superpelliceo pariter induto, qui librum et vas aquae benedictae cum aspersorio deferat, coram tribus aut duobus testibus, virum et mulierem, quos parentum vel propinquorum suorum praesentia cohonestari decet, de consensu in Matrimonium interroget, utrumque sigillatim in hunc modum, vulgari sermone [1]:

[1] Quia versio admodum facilis est, nihil addidimus in fasciculo vernaculo.

Digitized by Google

N., vis accipere N. hic praesentem in tuam legitimam uxorem iuxta ritum sanctae matris Ecclesiae?

Respondeat sponsus:

Volo.

Mox Sacerdos sponsam interroget:

N., vis accipere N. hic praesentem in tuum legitimum maritum iuxta ritum sanctae matris Ecclesiae?

Respondeat sponsa:

Volo.

Nec sufficit consensus unius, sed debet esse amborum, et expressus aliquo signo sensibili, sive fiat per se, sive per procuratorem.

Mutuo igitur contrahentium consensu intellecto, Sacerdos iubeat eos invicem iungere dexteras, dicens:

Ego coniungo vos in matrimonium, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum: postea eos aspergat aqua benedicta.

Mox benedicat anulum.

Digitized by Google

Benedictio Anuli.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit caelum et terram.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic †, Domine, anulum hunc, quem nos in tuo nomine benedicimus †, ut quae eum gestaverit, fidelitatem integram suo sponso tenens in pace, et voluntate tua permaneat atque in mutua caritate semper vivat. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat anulum aqua benedicta in modum crucis; et sponsus acceptum anulum de manu sacerdotis, imponit in digito anulari sinistrae manus sponsae, Sacerdote dicente:

In nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Digitized by Google

Mox subiungat:

V. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

R. A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster (secreto).

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Salvos fac servos tuos.

R. Deus meus, sperantes in te.

V. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.

R. Et de Sion tuere eos.

V. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.

R. A facie inimici.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Digitized by Google

Oremus.

Respice, quaesumus Domine, super hos famulos tuos : et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste; ut qui te auctore iunguntur, te auxiliante serventur. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

His expletis, si benedicendae sint nuptiae, Parochus Missam pro Sponso et Sponsa, ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus quae ibi praescribuntur.

Benedictiones.

(Ex Rituali Romano.)

Benedictio aegrotantis.

Sacerdos cubiculum aegrotantis ingrediens dicat:

V. Pax huic domui.

R. Et omnibus habitantibus in ea.

Et continuo ad infirmum accedens subiungat:

V. Adiutorium nostrum † in nomine Domini.

Digitized by Google

R. Qui fecit caelum et terram.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Introeat, Domine Iesu Christe, domum hanc ad nostrae humilitatis ingressum pax et misericordia tua: effugiat ex hoc loco omnis nequitia daemonum, adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat omnis maligna discordia. Magnifica, Domine, super nos nomen sanctum tuum: et benedic nostrae conversationi: Qui sanctus et pius es, et permanes cum Patre et Spiritu Sancto in saecula saeculorum.

R. Amen.

Oremus.

Respice, Domine, famulum tuum (vel famulam tuam) in infirmitate corporis laborantem, et animam

Digitized by Google

refove quam creasti: ut castigationibus emendatus (vel emendata), continuo se sentiat tua miseratione salvatum (vel salvatam). Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Oremus.

Misericors Domine, fidelium consolator, quaesumus immensam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis nostrae hunc famulum tuum (vel hanc famulam tuam) super lectum doloris sui iacentem, visitare digneris, sicut socrum Simonis visitasti: propitius adesto ei, Domine, quatenus pristina sanitate recepta, gratiarum tibi, in Ecclesia tua, referat actiones: Qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum.

R. Amen.

Deinde, extendens dexteram versus caput aegroti, dicat:

Dominus Iesus Christus apud te † sit, ut te defendat: intra te † sit, ut te conservet: ante te † sit, ut te ducat: post te † sit, ut te cu-

Digitized by Google

stodiat: super te † sit, ut te benedicat: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum.

R. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii †, et Spiritus Sancti, descendat super te, et maneat semper.

R. Amen.

Demum aspergat infirmum aqua benedicta.

Benedictio domus novae.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit caelum et terram.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Te Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, et habitatoribus eius, ac rebus: ut eam bene†dicere, et sanctifi†care, ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis, Do-

Digitized by Google

mine, de rore caeli abundantiam, et de pinguedine terrae vitae substantiam, et desideria voti eorum ad effectum tuae miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum bene†dicere, et sancti†ficare digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, et Iacob: et intra parietes domus istius, Angeli tuae lucis inhabitent; eamque, et eius habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

Benedictio ad omnia [1].

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit caelum et terram.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cuius verbo sanctificantur omnia, benedictionem tuam effunde

[1] Haec benedictionis formula adhiberi potest a quovis Sacerdote pro omnibus rebus, de quibus

Digitized by Google

super creaturam istam (vel creaturas istas): et praesta, ut quisquis ea (vel eis) secundum legem et voluntatem tuam cum gratiarum actione usus fuerit, per invocationem sanctissimi nominis tui, corporis sanitatem, et animae tutelam, te auctore, percipiat. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Deinde illam (vel illas) Sacerdos aspergit aqua benedicta.

---

specialis benedictio non habetur in Rituali Romano (Rit. Rom. hoc loco).

Digitized by Google

Pars V.

Meditationes.

De ipsa ratione meditandi.

(Ex P. *Roothaan*, De ratione meditandi, passim, non semper ad litteram, sed ad sensum.)

1. Imprimis necessaria est *oratio*. Scientia Sanctorum non tam praeceptis hominum constat, quam Spiritus Sancti unctione. Ora saepe: «Domine, doce nos orare, doce nos meditari.»

2. *Praeparatio remota* consistit in remotione obstaculorum (ut sunt: superbia, praecipue vero vitium oppositum virtuti angelicae, dissipatio) et usu adiumentorum (quae sunt virtutes oppositae).

3. *Praeparatio proxima* haec complectitur: *Pridie legatur* meditatio *observando, quis fructus colligendus sit;* ante somnum breviter recolatur; mane primo de illa cogitetur.

4. *Initium* complectitur — praeter adorationem et orationem praeparatoriam — praeludia. *Primum praeludium* est *constitutio loci.* Meditaturus mortem Christi te constituas in monte Calvariae etc., non

Digitized by Google

velut picturam inspiciens, sed quasi praesens omnia nunc coram videres. Pro incorporeis, v. g. peccato, virtute, potes imaginari v. g. infernum, monstra etc. Si vero non facile fieri potest, illud omittas. Doctrinam Christi quasi unus ex discipulis praesens ex ore Christi audies. Sic distractiones praecaventur.

5. *Alterum praeludium* est *petitio* cuiusdam *gratiae specialis* ex hac meditatione.

6. Iam sequitur *medium sive corpus* sive meditatio proprie dicta. Et primo quidem **memoria** revolvit materiam meditationis fuse et accurate. Et iam simul

7. incipit **intellectus** *primam considerationem* instituere, scil. *rem omni ex parte inspicere,* tractando quaestiones: Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

8. Dein intellectus instituit *secundam considerationem*, quae consistit in *applicatione veritatis ad te ipsum, ad tuum statum praesentem.* Quaenam conclusio practica deducenda? etc. (cf. schema). *Motiva perpenduntur:* Decens, utile, iucundum, facile, necessarium. Voluntas nostra sequitur intellectum. Si intellectus motiva rei non bene capit, voluntas parum erga illam afficitur. «Utile» non debet esse naturale (v. g. aliis placebo), sed magis supernaturale (v. g. si hoc fecero, vitabo peccata; habebo pacem conscientiae etc.). «Necessarium» est motivum validissimum, praesertim adhibendum in rebus difficilioribus.

Digitized by Google

9. **Voluntas** incipit *excitare affectus*, v. g. admirationis, laudis, gratitudinis, amoris, timoris, doloris, humiliationis, confusionis etc., qui debent esse sparsi per totam meditationem. *Si* autem revera *sentis* aliquem affectum in corde, *fove* illum, haudquaquam sollicitus de reliqua parte meditationis. Etsi nihil aliud faceres, optima esset meditatio. Haec observatio est summi momenti. Potes affectus exprimere ore. Error est, illicitum esse multum orare in meditatione.

10. Voluntas *format proposita*. Hoc est maxime essentiale meditationi. Proposita sint:

a) *practica*, i. e. efficacia ad vitae emendationem et perfectionem. Itaque non tantum dicas: «Orabo quotidie pro bona morte», sed insuper: «Istam passionem sic mortificabo ad illam obtinendam» etc.;

b) *particularia*. Conclusiones generales (v. g. «ergo mundum contemnam») comparantur explosionibus tormentorum, in nullum certum scopum directis, quae hostem non laedunt. Itaque dicas: «In illa occasione vel in istis circumstantiis ita agam» etc.;

c) *accommodata praesenti statui;* itaque non dicas: «Quando sacerdos (vel parochus) ero, hoc faciam.» Insuper conclusionem generalem alius alio modo sibi applicabit, prout vitium principale fuerit, v. g. superbia, vana gloria, sensualitas, inobedientia etc., quod constare debet ex

Digitized by Google

examine conscientiae vespertino. Contra vitium, quo maxime impugnamur, omnia tormenta bellica sunt dirigenda;

d) insuper quotidie aliquid statuatur *ipso illo die exsequendum*. Ex examine conscientiae scis, quid emendandum sit. Proposita non sint nimis multa; sint humilia, cum supplici petitione auxilii. Nequaquam improbandum est, idem propositum pluribus diebus recurrere, sed approbandum. Quoad reliqua cf. schema.

Schema meditationis iuxta mentem S. Ignatii.

Praeparatio remota.

Remove obstacula, spiritum huius mundi, mentis dissipationem etc. Adhibe virtutes oppositas spiritum humilitatis, mortificationis, orationis etc.

Praeparatio proxima.

Perlege meditationem pridie. Expergefactus primo cogita de meditatione facienda. Cogitationes conformes fove. Accede animo tranquillo.

Initium.

Deum praesentem cogita, adora, pete gratiam bene orandi.

Praeludia: 1. Mysterium contemplandum ob oculos pone, ac si coram te ageretur. 2. Fructum e meditatione eruendum pete.

Digitized by Google

Medium.

I. Memoria materiam meditationis in mentem revocat.

II. Intellectus perpendit:

1. Quae veritas consideranda?
2. Quae conclusio practica ex veritate deducenda?
3. Quae motiva ad conclusionem practicam servandam inducent? (Quam decens, utile, iucundum, facile, necessarium?)
4. Quomodo id hactenus a me observatum?
5. Quid in posterum faciendum?
6. Quale impedimentum removendum?
7. Quale medium eligendum?

III. Voluntas

1. affectus excitat per totam meditationem, corde plus quam ore, e. g. laudis, gratiarum actionis, confusionis, doloris, deprecationis, amoris etc.
2. Proposita format particularia, practica, praesenti necessitati accommodata, fundata in motivis solidis.

Finis.

Colloquium ad Beatam Virginem, Iesum Christum, Patrem caelestem, uti filii ad patrem, servi ad dominum, amici ad amicum, aegri ad medicum, oviculae ad pastorem etc.

Tessera seligenda ex S. Scriptura vel SS. Patribus, per diem repetenda, ut meditationis fructus servetur.

Digitized by Google

Oratio ante meditationem [1].

Concede mihi, misericors Deus, quae tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere ad laudem et gloriam nominis tui. Amen.

Oratio post meditationem [2].

O Iesu, vivens in Maria, veni et vive in famulis tuis, in spiritu sanctitatis tuae, in plenitudine virtutis tuae, in perfectione viarum tuarum, in veritate virtutum tuarum, in communione mysteriorum tuorum; dominare omni adversae potestati in spiritu tuo ad gloriam Patris. Amen.

Laetus dies hic transeat,
Pudor sit ut diluculum,
Fides velut meridies,
Crepusculum mens nesciat.
(Brev. Fer. II ad Laudes.)

---

[1] 300 dies, cum recitatur ante studium aut instructionem (Leo XIII, 21 Iunii 1879).

[2] 300 dies semel in die (Pius IX, 14 Oct. 1859).

Digitized by Google

SERIES I.

De Novissimis.

Meditatio prima.

De fine hominis.

(Ex *S. Ignatio de Loyola,* Exercitia spiritualia, 1 hebd., principium.)

Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet ac revereatur eique serviens tandem salvus fiat.

Tria hominis officia: 1. *Laudare.* Et vero quis illum non laudet, cuius summe admirandas perfectiones, quaecumque circa nos et in nobis sunt, annuntiant? *Caeli enarrant gloriam Dei* etc. (Ps 18, 1). *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?* etc. (Ps 34, 10.) 2. *Reverentiam exhibere* cultu interno et externo ac reverendo ubique praesentem. 3. *Servire,* ex eius voluntate pendere idque in omnibus, ubique et omni tempore et eo semper modo agere, quo Dominus velit. Hoc enim est ser-

Digitized by Google

vire Deo. Qui enim servit alicui, non suam facit, sed eius, cui servit, voluntatem. Hoc officium complectitur: a) Observantiam mandatorum Dei. . . . b) Fidelitatem in explendis obligationibus status cuiusque propriis. . . . c) Denique totius vitae, cogitationum, verborum, actionum rectam ordinationem, non pro lubitu, sed secundum voluntatem Dei, manifestatam nobis seu per auctoritatem legitimam, seu per lumina et inspirationes divinas, etc. . . . In tertio officio, quod est servire, difficultas potissimum reperitur, idque ex natura nostra per peccatum vitiata. . . . Ceterum in serviendo Deo ipsa hominis beatitudo sita est: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* (Ps 118, 1.) . . .

Salvus fiat. Quid est et quanti salvare animam? Quid est, quod cum tanto bono venire in comparationem possit? Quid videri potest difficile nimis? Quid vero

Digitized by Google

etiam non facile, leve, nihil, ut tantum consequamur bonum: cuius iacturam ex opposito summum malum excipit? Etenim, nisi salvem animam meam, illam indubitato perdam: perdere vero animam est aeternum damnari! Nihil est medium, nihil, ubi consistere possim, ut neque salvem animam meam neque damner. . . .

Laudando, reverentiam exhibendo, serviendo, haec agendo salvabo animam meam. . . . Dic saepius: Quid hoc ad servitium Dei? Quid hoc ad vitam aeternam? . .

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio secunda.

De fine hominis.

(Ex *S. Ignatio de Loyola,* Exercitia spiritualia, sequentia.)

Reliqua vero supra terram sita, creata sunt hominis ipsius causa, ut eum ad finem creationis suae prosequendum iuvent.

Digitized by Google

Reliqua intelliguntur omnia omnino, quae extra Deum sunt, inter quae etiam rerum humanarum vicissitudines censentur, omnia plane, tum quae bona dicuntur, tum quae mala.

Propter hominem. . . . Ergo non homo propter illa. Homo itaque eorum dominus, non servus. . . . Ut homini serviant, eius scil. necessitati, utilitati, oblectationi etiam, et vero, ut occupationem praebeant. . . . Etiam ea quae poenam homini inferunt . . ., ut eum scil. a peccato purgent et virtutis occasionem praebeant.

Ut eum iuvent etc. Hoc obtinet homo: 1. Contemplatione, ascendendo ex cognitione creaturarum ad cognitionem Creatoris. . . . 2. Usu, illis pro necessitate, utilitate, honesta etiam oblectatione, et pro facultatum suarum, seu corporis, seu animi exercitatione recte utendo. Item, si molestae, tolerando patienter. . . . 3. Abstinentia ab earum usu, si

Digitized by Google

delectabiles, temperantiae et mortificationis virtute abstinendo. . . . Quam ampla considerationis materia cum applicatione ad (tuam propriam) necessitatem!

Unde sequitur utendum illis vel abstinendum eatenus esse, quatenus ad prosecutionem finis vel conferunt vel obsunt.

Quia homo verum hunc finem creaturarum omnium e mente ac memoria elabi sibi plerumque sinit, et solum ferme, quid placeat, quid displiceat, cogitare et considerare ante omnia consuevit, . . . hinc peccata. . . .

Quapropter debemus absque differentia nos habere circa res creatas omnes (prout libertati arbitrii nostri subiectae sunt, et non prohibitae): ita, ut (quo in nobis est) non quaeramus sanitatem magis quam aegritudinem; neque divitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi praeferamus. Sed consentaneum est, ex omnibus ea demum, quae ad finem

Digitized by Google

ducunt, eligere ac desiderare: . . . Deus solus novit, quid cuique ad ultimum finem consequendum opportunius sit, quid unumquemque adiuturum sit magis, quid impediturum. Sane divitiae et honores paucis quibusdam multorum meritorum occasionem praebuerunt, plurimis contra ruinam pepererunt ac damnationem; alii per paupertatem et ignominiam salvi facti sunt. (Et sic est etiam de longa vita etc.)

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio tertia.

De morte.

(Ex *Thoma Kempensi*, Imitatio Christi l. 1, c. 23.)

1. Valde cito erit tecum hic factum, vide aliter, quomodo te habeas; hodie homo est, et cras non comparet. Cum autem sublatus fuerit ab oculis, etiam cito transit a mente. O hebetudo et duritia cordis humani, quod solum

Digitized by Google

praesentia meditatur, et futura non magis praevidet! Sic te in omni facto et cogitatu deberes tenere, quasi hodie esses morituras. Si bonam conscientiam haberes, non multum mortem timeres. Melius esset peccata cavere, quam mortem fugere. Si hodie non es paratus, quomodo cras eris? Cras est dies incerta; et quid scis, si crastinum habebis?

2. Quid prodest diu vivere, quando tam parum emendamur? Ah, longa vita non semper emendat, sed saepe culpam magis auget. Utinam per unam diem bene conversati essemus in hoc mundo! Multi annos computant conversionis, sed saepe parvus est fructus emendationis. Si formidolosum est mori, forsitan periculosius erit diutius vivere. Beatus, qui horam mortis suae semper ante oculos habet, et ad moriendum quotidie se disponit. Si vidisti aliquando hominem mori, cogita, quia et tu per eandem viam transibis.

Digitized by Google

3. Cum mane fuerit, puta te ad vesperam non perventurum. Vespere autem facto, mane non audeas tibi polliceri. Semper ergo paratus esto et taliter vive, ut numquam te imparatum mors inveniat. Multi subito et improvise moriuntur. Nam, qua hora non putatur, Filius hominis venturus est. Quando illa extrema hora venerit, multum aliter sentire incipies de tota vita tua praeterita, et valde dolebis, quia tam neglegens et remissus fuisti.

4. Quam felix et prudens, qui talis nunc nititur esse in vita, qualis optat inveniri in morte! Dabit namque magnam fiduciam feliciter moriendi, perfectus contemptus mundi, fervens desiderium in virtutibus proficiendi, amor disciplinae, labor poenitentiae, promptitudo obedientiae, abnegatio sui et supportatio cuiuslibet adversitatis pro amore Christi. Multa bona potes operari, dum sanus es; sed infirmatus, nescio quid poteris.

Digitized by Google

Pauci ex infirmitate meliorantur: sic et qui multum peregrinantur, raro sanctificantur.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio quarta.

De morte.

(Ex *Thoma Kempensi,* Imitatio Christi, sequentia.)

5. Noli confidere super amicos et proximos, nec in futurum tuam differas salutem: quia citius obliviscentur tui homines, quam aestimas. Melius est nunc tempestive providere et aliquid boni praemittere, quam super aliorum auxilio sperare. Si non es pro te ipso sollicitus modo, quis erit sollicitus pro te in futuro? Nunc tempus est valde pretiosum. Nunc sunt dies salutis: nunc tempus acceptabile. Sed proh dolor, quod hoc utilius non expendis, in quo promereri valeas, unde aeternaliter vivas! Veniet, quando unum diem

Digitized by Google

seu horam pro emendatione desiderabis; et nescio, an impetrabis.

6. Eia, carissime, de quanto periculo te poteris liberare, de quam magno timore eripere, si modo semper timoratus fueris, et suspectus de morte? Stude nunc taliter vivere, ut in hora mortis valeas potius gaudere quam timere. Disce nunc mori mundo, ut tunc incipias vivere cum Christo. Disce nunc omnia contemnere, ut tunc possis libere ad Christum pergere. Castiga nunc corpus tuum per poenitentiam, ut tunc certam valeas habere confidentiam.

7. Ah stulte, quid cogitas te diu victurum, cum nullum diem habeas securum? Quam multi decepti sunt et insperate de corpore extracti? Quoties audisti a dicentibus, quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto ruens cervicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit? Alius igne, alius ferro, alius peste, alius latrocinio interiit: et sic omnium

Digitized by Google

finis mors est, et vita hominum tamquam umbra subito pertransit.

Quis memorabitur tui post mortem? et quis orabit pro te? Age, age nunc, carissime, quidquid agere potes, quia nescis, quando morieris, nescis etiam, quid te post mortem sequetur. Dum tempus habes congrega tibi divitias immortales. Praeter salutem tuam nihil cogites; solum quae Dei sunt, cures. Fac nunc tibi amicos, venerando Dei Sanctos, et eorum actus imitando: ut, cum defeceris in hac vita, illi te recipiant in aeterna tabernacula.

Serva te tamquam peregrinum et hospitem super terram, ad quem nihil spectat de mundi negotiis. Serva cor liberum, et ad Deum sursum erectum, quia non habes hic manentem civitatem. Illuc preces et gemitus quotidianos cum lacrimis dirige, ut spiritus tuus mereatur ad Dominum, post mortem, feliciter transire.

Propositum particulare pro praesenti die.

Digitized by Google

Meditatio quinta.

De iudicio particulari.

(Ex *Schouppe* S. J., Meditationes sacerdotales, Ser. 1, medit. 14.)

1. *Quandonam* iudicabor? Statim post obitum meum, in ipso probabiliter mortis loco, apparebit mihi iudex. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium* (Hebr 9, 27). Adhuc calidum iacebit corpus meum, et iam ero iudicatus.

2. Quis erit *iudex?* Christus Dominus, constitutus iudex vivorum et mortuorum. *Pater omne iudicium dedit Filio, et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est* (Io 5, 27). . . .

Quomodo me, sacerdotem, aspiciet? An irato vultu? Sane si officio pastorali defuero, maxime mihi timendum erit; nam *horrende et cito apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum his qui praesunt fiet* (Sap 6, 6). Nonne oportet me ita fideliter Domino et Eccle-

Digitized by Google

siae servire, ut quomodo precamur in Commendatione animae, *mitis atque festivus mihi Christi Iesu aspectus appareat.*

3. Qui *testes?* Si anima comparet in statu gratiae, astat saltem Angelus custos, ut post sententiam deducat eam in paradisum vel in purgatorium. Si anima sit in statu peccati mortalis, adest diabolus, vindicans sibi suum mancipium et praedam inferni. Tibi provide itaque, dum es in via vitae, dicit Dominus, *ne forte tradat te adversarius iudici et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris* (Mt 5, 25).

4. *Iudicandus* est homo reus. Ego stabo coram iudice, vel in statu peccati mortalis, vel in statu gratiae imperfecto et cum debito veniali, vel in statu gratiae perfecto cum thesauro meritorum. ...

5. *Examen,* seu libri aperiendi ... imprimis liber divinae legis, nempe Evangelium, et Statuta Diocesana, secundum quae me vivere oportuit.

Digitized by Google

Dein liber conscientiae, quae aperietur et veluti tabula pandetur. An adhuc latent ibi occulta dedecoris, quae non manifestavi confessario? quaeve poenitentia non expiavi?

6. Quaenam *sententia?* Erit certo una ex tribus: vel reprobationis, vel condemnationis ad purgatorii poenas, vel retributionis aeternae. . . .

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio sexta.

De purgatorio.

(Ex Card. *Bellarmino,* De gemitu columbae l. 2, c. 9).

In poenis purgatorii quattuor capita considerari possunt, ex quibus coniecturam facere licebit de magnitudine poenarum illarum, ut ex ea magnitudine colligi possit merito debere fideles lacrimas fundere ob commiserationem fratrum nostrorum, qui poenis illis interim cruciantur.

Digitized by Google

Primum est, poenas purgatorii acerbiores esse poenis omnibus, quas in hac vita experimur; secundum, poenas purgatorii ut plurimum diutius durare, quam poenae huius vitae durent; tertium, animas quae in purgatorio degunt, se ipsas iuvare non posse; quartum, animas illas esse plurimas ac paene innumerabiles. . . .

1. Igitur pro comperto habere debemus, poenas purgatorii *acerbiores* esse poenis omnibus, quas in hac vita experimur. Id enim disertis verbis docet S. Augustinus: . . . *Gravior erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita* (in Ps 37, n. 3), S. Gregorius ait: *Illum ignem omni tribulatione aestimo praesenti intolerabiliorem.* S. Thomas addit, minimam poenam purgatorii graviorem esse acerbissima quacumque poena huius mundi (4 Sent. d. 21, q. 1, a. 1). . . . Probat autem sententiam suam

Digitized by Google

S. Thomas, quoniam veritas certa et explorata est, poenam damni graviorem esse qualibet poena sensus; et non minus certum est eos omnes, qui in purgatorio sunt, poenam damni sustinere. . . . Sed etiam de poena ignis SS. Patres affirmant, eam esse atrociorem, quam sit ulla poena huius vitae. . . .

2. Alterum caput est diuturna *duratio* suppliciorum purgatorii. Quamvis enim non defuerit aliquis scriptor, alioqui egregius, et magni nominis, qui opinatus sit, neminem in purgatorio cruciari ultra viginti annos, vel ultra decennium: tamen contrarium docet usus Ecclesiae, quae anniversaria sacra celebrare solet pro animabus defunctorum non solum ad annos decem, sed etiam ad annos centum, et eo amplius. Deinde probatur ex variis visionibus. . . .

Propositum particulare pro praesenti die.

Digitized by Google

Meditatio septima.

De purgatorio.

(Ex Card. *Bellarmino,* De gemitu columbae, sequentia.)

3. Quodsi ad acerbitatem dolorum et diuturnitatem poenarum accedat tertia calamitas, quod animae in purgatorio *se ipsae iuvare non possunt,* profecto non parum excrescet infelicitas animarum earumdem. Hic enim in terris vix quisqam est tam miserabilis, qui non possit vel fugiendo, vel resistendo, vel amicos requirendo, vel appellando ad alium iudicem, vel misericordiam iudicis implorando, vel aliqua alia ratione se a cruciatibus aliqua ex parte liberare. At in purgatorio nihil omnino possunt, nisi patienter supplicia tolerare. Possunt quidem viventes in carne sancti homines pro defunctis orare, et eleemosynas atque alia satisfactoria opera pro eis offerre Domino, sed illis non licet, nisi ex privilegio parti-

Digitized by Google

culari, quod paucis et raro conceditur, hominibus apparere, atque ab eis auxilium postulare.

4. Sed fortasse paucae sunt animae, quae in purgatorio degunt.... Immo vero *innumerabiles* sunt *animae* illae, ut solus numerus tam ingens sufficiat ad misericordiam commovendam, etiamsi essent supplicia leviora. Quod rursus constat ex apparitionibus. . . . Neque potest aliter fieri, cum nihil coinquinatum in regnum caelorum admittatur, sed soli illi, qui vere sancti et immaculati sunt. Qui autem eiusmodi sunt, rarissimi sunt: proinde ceteri omnes, qui ad electorum numerum pertinent, per ignem purgatorii transeunt.

Conclusio: Ex his plane constat valde miserabiles esse animas illas, et per hoc omni miseratione dignissimas: et stultissimos esse, qui in hoc tempore pro culpis suis satisfacere neglegunt, et malunt ad loca illa poenalia descen-

Digitized by Google

dere, quam in hoc tempore aliqua delectatione privari.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio octava.

De iudicio universali.

(Ex *S. Bonaventura,* Soliloquium c. 3, § 2.)

De statu finalis iudicii cogitare est formidabile, quia nullus tunc fallere poterit sapientiam, flectere iustitiam, inclinare clementiam, declinare ultionis et iustae retributionis sententiam. Considera igitur, anima mea, cum tremore, quid erit de te in die novissimo, quando contra te de cogitationibus loquetur conscientia, quando te de tuis actionibus omnibus accusabunt elementa, quando contra te crux portabitur in testimonium, quando verbera contra te clamabunt, vulnera allegabunt, clavi loquentur, cicatrices conquerentur. «O quanta angustia! Hinc erunt peccata ac-

Digitized by Google

cusantia, inde terrens iustitia, intus urens conscientia, subtus horrendum chaos inferni, supra Iudex iratus iusti iudicii, foris mundus ardens, intus iustitia iudicantis terrens. Et si iustus vix tunc salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? In quam partem se prement? Latere erit impossibile, apparere intolerabile.» Haec Bernardus (Tract. de interiori domo c. 22, n. 46). Anselmus in meditationibus: «O anima peccatrix, lignum inutile et aridum, aeternis ignibus deputatum, quid respondebis in die illa, quando exigetur a te usque ad ictum oculi omne tempus tibi impensum, qualiter sit a te expensum?» (Meditat. 2.) Eia tunc, anima mea, quid tunc erit de cogitationibus vanis et otiosis, de verbis levibus, iocosis et ridiculosis, de operibus inutilibus et infructuosis? Ambrosius super Lucam: «Vae mihi, si peccata mea non deflevero; vae mihi, si non media nocte ad confitendum tibi

Digitized by Google

surrexero! Iam ad radicem securis posita est, faciat fructum qui potest gratiae, qui debet poenitentiae» (Lib. 2 in Lc 3, 9, n. 76). O anima, «sive vigiles, sive dormias, semper in auribus tuis illa horribilis tuba resonet: Surgite mortui, venite ad iudicium» (*Hieron.*, Epist. 66, n. 10). O anima, numquam excidat a tua memoria: *Ite, maledicti, in ignem aeternum; venite, benedicti, percipite regnum* (Mt 25, 34 41). O quid potest lamentabilius et terribilius cogitari quam: *Ite?* quid delectabilius exprimi quam: *Venite?* Duae voces, quarum una nihil horribilius, et altera nihil iucundius poterit audiri. O anima, separa te modo a mundo, ut tunc possis manere cum Christo. Fuge modo mundum, ut tunc sequaris Deum. Declina modo pravorum societates et consortia, ut tunc valeas sequi beatorum agmina.

Propositum particulare pro praesenti die.

Digitized by Google

Meditatio nona.

De inferno.

(Ex Card. *Bellarmino*, De gemitu columbae l. 2, c. 2.)

Christus disertis verbis ait: *Timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittendi in gehennam; ita dico vobis, hunc timete* (Lc 12, 5).

Ostendamus breviter, quae et qualia sint gehennae supplicia. Et quoniam nolumus per res dubias aut incertas vagari, ne videamur vana terriculamenta quaerere, quibus ab oculis simplicium lacrimas excutiamus, ea solum afferemus in medium, quae in Scripturis Sanctis perspicue luculenterque traduntur. Igitur octo tormentorum genera leguntur in libro Dei, quae ad gehennam pertinent.

1. Prima est *poena damni,* aberratio ab ultimo fine, carentia visionis Dei, exilium sempiternum a patria caelesti, amissio iuris hereditarii ad regnum caelorum, deni-

Digitized by Google

que iactura bonorum omnium in omnia saecula saeculorum. An haec sola nomina sufficere non deberent ad excutiendas lacrimas a cordibus lapideis? Sed ubi leguntur haec in verbo Dei? Audi regem caelorum in ultimo iudicio sententiam proferentem: *Discedite maledicti: venite benedicti* (Mt 25, 34 41). Audi eumdem: *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt. Cum autem intraverit paterfamilias et clauserit ostium, incipietis foris stare et pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis. Et respondens dicet vobis: Nescio vos unde sitis: discedite a me omnes operarii iniquitatis* (Lc 13, 24 sqq). ... Porro poenam hanc damni non magni faciunt, qui capti amore rerum temporalium, non gustaverunt bona caelestia; sed qui habent oculos mentis erectos et puros, et vel modicum caelestia gustaverunt, poenam damni longe

Digitized by Google

graviorem et acerbiorem omnibus suppliciis atque tormentis corporalibus esse non dubitant. Audi S. Ioannem Chrysostomum: «Ego illius gloriae amissionem multo amarius quam ipsius gehennae (ignis) dico esse supplicium. (Nunc non) novimus illorum beatitudinem praemiorum. . . . Tunc aperientur oculi, tunc auferetur velamen.» . . . Ideo dum tempus est acceptabile, et dum pretio lacrimarum amissio illa redimi potest, non parcamus utilibus lacrimis, ne postea eam amissionem inutiliter deploremus.

2. Altera poena gehennae *tenebrae* sunt exteriores; sic enim legimus in Evangelio: *Filii autem regni eicientur in tenebras exteriores* (Mt 8, 12). Cum aliquis nostrum iacet solus in tenebris noctis, acuto aliquo dolore somnum penitus excludente, quam longam et quam laboriosam experitur noctem! Quam anxie horas numerat et noctis finem exspectat! Quid igitur miseri illi patiuntur,

Digitized by Google

qui certi sunt in tenebris et doloribus sempiternis semper se vigilaturos, et consolationem nullam umquam habituros!

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio decima.

De inferno.

(Ex Card. *Bellarmino*, De gemitu columbae, sequentia.)

3. Quid iam de *ignis* supplicio dicam, quae est apud inferos poena tertia? Futurum apud inferos ignis perpetui supplicium horribile, docet Evangelium multis in locis, et tam dilucide, ut nulla tergiversatio excogitari possit. Apud Matthaeum loquitur S. Ioannes Baptista de Christo dicens: *Cuius ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam: et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili* (3, 12). Et ipse Christus de zizaniis, id est peccatoribus, ait: *Et mittent eos in caminum ignis*

Digitized by Google

(Mt 13, 42). Et rursus: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius* (ib. 25, 41). Item apud Mc 9, 44: *Bonum est tibi claudum introire in vitam aeternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inexstinguibilis.* . . . Neque vero existimandum est ignem gehennae esse ignem metaphoricum aut spiritualem (ut probatur ex SS. Patribus). . . . Ex sententia S. Basilii ignis ille tartareus vim habet urendi, non lucendi, et si forte luminis aliquid sulphurei et caliginosi in eo est, ad hoc tantum erit, ut miseri illi videant partem aerumnarum suarum et filios, aut fratres, aut alios caros. . . . Multa sunt ab hominibus excogitata supplicia, sed nullum acutius, nullum vehementius, nullum acrius igne. . . . Certe, si ista cogitarentur attente et crederentur fideliter, nemo peccatorum letalium sibi conscius posset a gemitu et lacrimis

Digitized by Google

sibi temperare. . . . *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* (Is 33, 14.) . . . Abstineatis igitur cor a concupiscentia mala, abstinete linguam a verbo malo, abstinete manum ab opere malo; et si quid corde, verbo aut opere iam peccastis, diluite lacrimis, confessione, ieiuniis atque eleemosynis; haec enim est via fugiendi ab igne devorante et declinandi ab ardoribus sempiternis.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio undecima.

De inferno.

(Ex Card. *Bellarmino,* De gemitu columbae, sequentia.)

4. Sequitur poena quarta, *vermis* rodens. *Vermis eorum non morietur* (Is 66, 24). *Ubi vermis eorum non morietur* (Mc 9, 43). . . . Iste vermis, qui numquam moritur, est conscientia peccati, quae

Digitized by Google

velut canis rabidus semper latrat, ac veluti vermis venenatus semper rodit. Revocat enim ad mentem, quam imprudenter ac stulte gesserit se, cum vilissimo pretio terrenae voluptatis regnum caelorum amisit. Et quidem in hac vita eiusmodi reprehensionem conscientiae latrantis et mordentis, variis rationibus nunc dormiendo, nunc legendo, aut aliquid operando lenimus, vel mitigamus: sed apud inferos, ubi nulla somni quies, nulla lectio, vel operatio aderit, vermis ille conscientiae dies noctesque sine intermissione corrodet animae viscera et sibi ipsa anima irascetur, et tabescet, et quietem nullam inveniet. . . .

5. Quinta poena *vincula* sunt. *Ligatis manibus et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores* (Mt 22, 13). Uno in loco aeternum mansuri, ne commovere quidem se poterunt. . . . Quam crudele tormentum excogitavit impietas Gentium, cum Marcum

Digitized by Google

Aretusium martyrem arctissime colligatum exposuerunt nudum ad solem melle perunctum morsibus vesparum atque muscarum? . . . Sed martyrem consolabatur brevitas temporis, et perennitas gaudii in caelis. Sed miseri illi, expositi morsibus, neque levamentum ullum, ne dicam gaudium, exspectare poterunt usque in aeternum.

6. Sexta poena est *societas diaboli* et angelorum eius. Sicut pars magna felicitatis Sanctorum est habitare cum Angelis sanctis . . ., ita pars magna infelicitatis impiorum habitare perpetuo cum spiritibus immundis, qui et ipsi plurimi sunt, et omnes hostes generis humani, et deformissimi atque teterrimi.

7. et 8. Quare mirum non est, si reprobi in profunda gehenna *fleant* assidue et *stridant dentibus*, quae sunt duae postremae damnatorum poenae. . . . *Illic erit fletus et stridor dentium*

Digitized by Google

(Mt 25, 30).... Fletus indicat dolorem, et stridor dentium assiduus et sempiternus horrorem, quae nascuntur ex iactura felicitatis, ex igne torrente, ex verme rodente, ex carcere tenebroso, ex cohabitatione denique infernalium bestiarum. . . .

Horrendum est incidere in manus Dei viventis (Hebr 10, 31).

Haec autem omnia scripta sunt propter nos, qui adhuc in vita sumus. Illi enim, qui sunt in termino, spem salutis nullam habere possunt, etiamsi lacrimis poenitentiae aquas oceani superarent.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio duodecima.

De caelo.

(Ex *S. Bonaventura,* Soliloquium c. 4.)

1. De gaudio ex contemplatione eorum, quae infra sunt.

O anima, aeterni Regis filia audi mente devota. . . . Vide per

Digitized by Google

contemplationem caelestis regni consolationem, obliviscere per contemptum et detestationem populum tuum et domum patris tui, hoc est mundum, diabolum et te ipsam.

Caelestes spiritus . . . radium suae contemplationis convertunt ad inferiora et gaudent ex triplici causa: primo, quod tam impios, horribiles et crudeles hostes per divinam potentiam superaverunt; secundo, quod omnes defectus et peccata vel per divinam sapientiam vitaverunt, vel iamdudum commissa correxerunt; tertio, quod tam lamentabiles et interminabiles cruciatus aeternos per divinam clementiam evaserunt. . . . Quantum, putas, tunc erit gaudium de triumpho, cum post devictum triumphatumque mundum, submerso impio Pharaone cum exercitu suo in Mari Rubro, tenent omnes electi tympanum, cum Maria psallentes et cantantes, laudantes et benedicentes Dominum,

Digitized by Google

una voce dicentes: *Cantemus Domino, gloriose enim* etc. (Ex 15, 1). . . .

O anima, qualis tibi erit dies illa, cum ad hanc felicem choream fueris assumpta, et cum tibi omne, quod in terra et in mundo pie sustinuisti, convertetur in aeternum iubilum. Tunc de his omnibus laudabis Dominum Deum tuum labiis exsultationis, dicens: *Misericordias Domini in aeternum cantabo* (Ps 88, 1). Quo cantico secundum Augustinum (De civ. Dei l. 22, c. 30, n. 4), quod cantatur in laudem gloriae Christi, cuius sanguine liberati sumus, nihil erit iucundius illi civitati, nihil dulcius.

Tu igitur, cum tentationibus probaris, cum persecutionibus impugnaris, cumque in hoc saeculo variis tribulationibus infestaris, tunc mente in caelum evola et cogita, quod haec non sunt aliud nisi aeterni gaudii materia. . . .

Propositum particulare pro praesenti die.

Digitized by Google

Meditatio tertia decima.

De caelo.

(Ex *S. Bonaventura,* Soliloquium c. 4.)

2. De gaudio ex contemplatione eorum, quae iuxta sunt.

O anima, parumper oculos mentales erige, et quanta sint gaudia, quae de his percipies, quae iuxta te sunt, devota mente frequentius volve et revolve.

a) Attende, quam gloriosa est *civitas caelestis,* mansio secura, patria continens totum, quod delectat. Attende, quam luminosa, quam splendida est civitas illa caelestis, quae *non indiget sole neque luna, ut luceant in ea* (Apc 21, 23), sed ipse Dominus, sol iustitiae, candor lucis aeternae, lux eius est, et lucerna eius est Agnus. *O quam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei!* (Ps 86, 3). *O Israel, quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis eius!* (Bar 3, 24). O anima, licet hic sis corpore, illic esto mente, quia ibi «est re-

Digitized by Google

quies sine labore, vita sine morte, iuventus sine senectute, lux sine tenebris» (*Aug.*, Soliloq. c. 35), pax imperturbabilis. *Sedebit enim populus meus*, dicit Dominus, *in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae et requie opulenta* (Is 32, 18).

b) Et quis erit ibi noster cibus nisi ille *Agnus* beatissimus, ille mundus et immaculatus Iesus, Dei Patris et Mariae Virginis Filius, de quo sanctis spiritibus ministrabuntur ad omnem sufficientiam fercula nobilissima de ipsius candidissima humanitate et excellentissima divinitate? *O quam beati sunt, qui ad caenam nuptiàrum Agni vocati sunt!* (Apc 19, 9.)

c) Vide iuxta te *omnium Sanctorum collegium*, quod ad beatitudinis tuae cumulum divina bonitas congregavit; quia nullius boni sine socio iucunda est possessio, sicut dicit Seneca (Epist. 6, n. 4). Unde Gregorius: «Quae lingua dicere aut quis intellectus capere

Digitized by Google

sufficit, illius supernae civitatis quanta sint gaudia, Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriae Conditoris assistere» (Hom. in Evang. 37, n. 1) et ab illorum beatissima societate numquam discedere, sed continue cum ipsis et de ipsorum gaudio in perpetuum exsultare! . . . Qualis tibi erit dies illa, cum Maria, Mater Domini, tibi occurret choris comitata virgineis, cum et ipse Sponsus tibi cum omnibus Sanctis occurret, dicens: *Surge, propera, amica mea, veni, formosa mea, columba mea; iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit!* (Ct 2, 10 11.) ... Tunc secura in amplexus Sponsi evolabis, cum iubilo dicens: *Inveni, quam diligit anima mea, tenui eum nec dimittam* (Ct 3, 4). ...

Anselmus: «O anima, tantus debet esse in hac vita mortali amor et desiderium perveniendi ad illud, ad quod facta es, et dolor, quia nondum ibi es, et timor, ne forte non pervenias, ut

Digitized by Google

nullam laetitiam sentire valeas, nisi de his, quae tibi auxilium et spem conferunt perveniendi» (Lib. Cur Deus homo sit c. 20).

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio quarta decima.

De caelo.

(Ex *S. Bonaventura,* Soliloquium c. 4.)

3. De gaudio ex contemplatione eorum, quae intra sunt.

Corpus nostrum quattuor dotibus erit remunerandum: habebit immortalitem, impassibilitatem, agilitatem, claritatem.

Claritas: «In sempiterna patria corda beatorum sibi invicem et claritate lucent et puritate translucent; ibi uniuscuiusque vultus aspicitur, et conscientia penetratur; ibi cuiuslibet mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondit» (*Greg.*, Mor. l. 18, c. 48, n. 77).

Agilitas: Ibi etiam mox, ubicumque voluerit animus, statim aderit corpus (*Aug.*, De civ. Dei

Digitized by Google

l. 22, c. 30, n. 1). Sicut enim tunc anima perfecte obedit Creatori, ita corpus perfectissime obtemperabit suo motori.

Impassibilitas et *immortalitas:* Ibi aberit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnis corruptio. Ibi caelum novum, ibi terra nova. Ibi similes erimus Angelis Dei, etsi non aetate, certe tamen felicitate. Ibi vita sine morte, iuventus sine senectute, gaudium sine tristitia, pax sine discordia, voluntas sine iniuria, lux sine tenebris, regnum aeternum expers commutationis. Ibi quidquid volueris erit, quidquid nolueris non erit (*Ans.*, Prosol. c. 25).

Considera etiam, quantum gaudeat animus, cum resumpserit tale corpus, quale iam audisti, non tale, quale cum ingenti dolore sustinuisti et cum magno certamine devicisti, de quo saepius timens et impatiens patienter et irascens clementer dixisti: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* (Rom 7, 24.)

Digitized by Google

O anima, cogita, qualis tibi tunc erit gloria, cum induta fueris illa stola nova et splendida, ornata omni lapide pretioso, id est corpore glorificato, in quo tot fulgebunt gemmae pretiosissimae, quot modo sunt virtutes in mente. Quis enim enarrare sufficeret, quantum gaudium, quam stupendam gloriam, quam incomprehensibilem laudem habitura sis, pro eo quod corpus proprium tam viriliter per clipeum castitatis et continentiae superasti; pro eo quod mundum tam potenter fugiendo et despiciendo debellasti; pro eo quod diabolum prudenter per bellum resistentiae effugasti; pro eo quod omnibus cogitationibus, omnibus affectionibus, singulis inordinatis motibus tam viriliter restitisti. Adverte, si potes, quantam laudem habitura sis ab iis, quos verbo et exemplo ad meliora provocasti. . . .

Propositum particulare pro praesenti die.

Digitized by Google

Meditatio quinta decima.

De caelo.

(Ex *S. Bonaventura,* Soliloquium c. 4.)

4. De gaudio ex contemplatione eorum, quae supra sunt.

Igitur consulo tibi, o anima, ut iam ad Auctorem tuum te convertas, et quantum gaudium ab eo illi beati spiritus recipiant, diligenter consideres. . . .

Primum gaudium de perfecta scientia. O anima, quantum, putas, gaudent et laetantur, qui illud aeternitatis speculum iugiter contemplantur, in quo omnia, quae summae beatitudini competunt, apertissime speculantur? . . . Quid est, quod nescire possent, qui scientem omnia vident? (*Greg.*, Dial. l. 4, c. 33.)

Et quid videbo?

Regem caeli in decore suo. Beda (l. 3 Hom. 2 in festo Omn. SS.): «Splendor aeternae gloriae est tantae pulchritudinis tantaeque dulcedinis, ut etiam ipsi Angeli,

Digitized by Google

qui sole sunt incomparabiliter clariores, eo satiari non possint.» Tunc ergo affluës deliciis in stupenda divinae claritatis visione, miraberis in tui ipsius deliciosa consideratione, dilataberis in omnium creaturarum perfecta speculatione.... O quam digne dictum est de te, Domine Deus meus: *Melior est dies una in atriis tuis super millia* (Ps 83, 11).

O anima, quamvis haec sola sufficerent, si nulla alia adessent, est tamen adhuc una, ut de aliarum paene innumerabilium iucunda visione taceam, quae mirabiliter omnium spirituum mentes laetificat, videre scilicet illius caelestis Reginae deificam claritatem et suae beatissimae Prolis glorificatam humanitatem, . . . hanc quondam propter nos tam miseram, tot moeroribus plenam, iam nunc inaestimabiliter super choros Angelorum et omnem creaturam exaltatam, regnantem cum Christo Filio suo in Trinitatis palatio. O

Digitized by Google

anima, mente devota pertracta, quam sit plenum omni suavitate gaudium videre hominem hominis Conditorem, feminam Conditoris genitricem, Iesum fratrem nostrum quondam perditum, abiectum et despectum, nunc regnantem, nunc omnibus imperantem. *O quis mihi det, ut videam te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris et deosculer* labiis devotionis, amplectar te brachiis dilectionis! (Ct 8, 1.) . . .

Secundum gaudium. Quanto, putas, desiderio aestuare debes ad aeternam bonitatem perfecte diligendam et summam maiestatem aeternaliter possidendam? . . . Ibi «videbimus et amabimus, amabimus et habebimus» (*Aug.*, De civ. Dei l. 22, c. 30).

Quam delectabile est illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum! . . . Cur per multa vagaris, quaerendo bona creata? Ama unum bonum, in quo sunt omnia (*Ans.*, Prosol. c. 25 sq)

Digitized by Google

Domine Pater, per Filium tuum consulis, immo iubes petere et promittis accipere, ut gaudium nostrum sit plenum (Io 16, 24). Peto, Domine, quod per admirabilem Consiliarium tuum consulis petere et promittis accipere, ut gaudium nostrum sit plenum; meditetur interim hoc mens mea, loquatur inde lingua mea, amet illud cor meum, donec intrem in gaudium Domini mei, qui est trinus et unus benedictus in saecula. Amen.

Propositum particulare pro praesenti die.

SERIES II.

De vitiis, et de virtutibus sacerdotalibus.

Meditatio decima sexta.

De duobus vexillis.

(Ex *S. Ignatio de Loyola,* Exercitia spiritualia, 2 hebd., 4 dies.)

Praeludium primum erit historica quaedam consideratio Christi ex

Digitized by Google

una parte, et ex altera Luciferi, quorum uterque omnes homines ad se vocat, sub vexillo suo congregandos.

Secundum est ad constructionem loci, ut repraesentetur nobis campus amplissimus circa Hierosolymam, in quo Dominus Iesus Christus, tamquam bonorum hominum omnium summus dux assistat. Rursum alter campus in Babylonia, ubi se Lucifer malorum et adversariorum ducem exhibeat.

Tertium, ad gratiam petendam illud erit, ut poscamus exploratas habere fraudes mali ducis, invocata simul divina ope ad eas vitandas, veri autem optimique imperatoris Christi agnoscere mores ingenuos, ac per gratiam imitari posse.

I. 1. Punctum primum est, imaginari coram oculis meis, apud campum Babylonicum *ducem impiorum* in cathedra ignea et fumosa sedere, horribilem figura vultuque terribilem.

Digitized by Google

2. Secundum est, advertere, quomodo convocatos daemones innumeros per totum orbem spargit ad nocendum, nullis civitatibus et locis, nullis personarum generibus immunibus relictis.

3. Tertium, attendere, cuiusmodi concionem habeat ad ministros suos, quos instigat, ut correptis iniectisque laqueis et catenis, homines primum trahant (quod fere contingit) ad cupiditatem divitiarum, unde postea facilius in mundani honoris ambitionem, ac demum in superbiae barathrum deturbari queant.

Atque ita tres sunt praecipui tentationum gradus, in divitiis, honoribus et superbia fundati; ex quibus in alia vitiorum genera omnia praeceps fit decursus.

II. Similiter ex opposito considerandus est summus optimusque *noster dux et imperator Christus*.

1. Punctum primum erit, conspicari Christum in amoeno campo

Digitized by Google

iuxta Hierosolymam, humili quidem constitutum loco, sed valde speciosum forma, et aspectu summe amabilem.

2. Secundum autem est, speculari, quo pacto ipse mundi Dominus universi electos Apostolos, Discipulos et ministros alios per orbem mittat, qui omni hominum generi, statui et conditioni doctrinam sacram ac salutiferam impartiant.

3. Tertium, auscultare concionem Christi exhortatoriam ad servos et amicos suos omnes in opus tale destinatos, qua eis praecipit, ut iuvare studeant quemlibet, ac primo inducendum curent ad spiritualem affectum paupertatis: et insuper (si divini obsequii ratio et electio caelestis eo ferat) ad sectandam actu ipso veram paupertatem: deinde ut ad opprobrii contemptusque desiderium alliciant, unde humilitatis virtus enascitur.

Et ita tres consurgunt perfectionis gradus, videlicet paupertas,

Digitized by Google

abiectio sui atque humilitas, quae ex diametro divitiis, honori et superbiae opponuntur ac virtutes omnes statim introducunt.

Colloquium postea formandum erit ad Virginem beatam, implorandaque est per eam a Filio gratia, ut recipi possim et manere sub vexillo eius. . . .

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio septima decima.

De vanitate carnalium voluptatum et divitiarum.

(Ex *S. Bernardo*, De conversione c. 8.)

1. *Voluptas gutturis*, quae tanti hodie aestimatur, vix duorum obtinet latitudinem digitorum; et eius tam modicae partis tam exigua delectatio quanta paratur sollicitudine, quantam deinde molestiam parit! Hinc etiam morbi varii generantur.

2. Sic *libidinis* illecebrosa vorago quantis laboribus et dis-

Digitized by Google

pendiis, interdum et famae vel honoris, aut etiam vitae ipsius periculo comparatur, ut ad modicum flagrans sulphureus vapor furentes stimulis agat, et apum par volantium, ubi male grata mella fuderit, nimis tenaci feriat icta corda morsu; cuius appetitus anxietatis et vecordiae, actus abominationis et ignominiae, exitus poenitudinis et verecundiae, plenus esse dignoscitur. Ceterum spectacula vana, rogo, quid corpori praestant, quidve animae conferre videntur? Frivola prorsus et inanis ac nugatoria consolatio, et nescio, quid illi durius imprecer, quam ut semper habeat quod requirit, qui iucundae quietis pacem fugitans, curiosa inquietudine delectatur.

3. *Divitiarum* amor insatiabilis longe amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret usu suo; utpote quarum acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena doloris invenitur.

Digitized by Google

4. Et in his omnibus *pro tam exiguis,* aut magis ne exiguis quidem, sed nullis *eam parvipendere gloriam,* quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam praeparavit Deus diligentibus se, non tam insipientiae quam infidelitatis esse videtur.

Nec immerito sane mundus hic positus in maligno, vana promissione deludit animas propriae conditionis et nobilitatis ita oblitas, quas non pudeat porcis in ministerio subiugari, in desiderio sociari, nec sic tamen infelici edulio satiari. Unde enim haec tanta pusillanimitas et abiectio tam miserabilis, ut egregia creatura, capax aeternae beatitudinis et gloriae magni Dei, utpote cuius sit inspiratione condita, similitudine insignita, cruore redempta, fide dotata, spiritu adoptata, miseram non erubescat sub putredine hac corporeorum sensuum gerere servitutem? Merito sane ne eos quidem

Digitized by Google

apprehendere potest, quae talem deserens sponsum, tales sequitur amatores; merito siliquas esuriit et non accepit, qui porcos pascere maluit, quam paternis epulis satiari. Insanus siquidem labor omittere curam cordis, et curam carnis agere in desideriis, impinguare et fovere cadaver putridum, quod paulo post vermium esca futurum nullatenus dubitatur. Nam et servire mammonae et avaritiam colere, aut vanitatem sectari, prorsus degeneris animae indicium esse quis nesciat?

5. Esto tamen magna sint et honesta, quae mundus interim amatoribus suis erogare videtur; sed infida esse quis nesciat? Certa nimirum eorum *brevitas*. Quid in rebus humanis certius morte, quid hora mortis incertius invenitur? Non miseratur inopiam, non divitias reveretur, non ipsi denique parcit aetati, nisi quod senibus quidem in ianuis, adolescentibus in insidiis est. Infelix proinde, qui in huius vitae tenebris

Digitized by Google

et lubrico fidens, perituram insumit operam, nec advertit, quoniam vapor est ad modicum parens, et vanitas vanitatum. Implesti pecuniose loculos tuos? Sollicitus esto ne perdas. Uberes fructus attulit ager tuus? Dirue horrea tua, ut maiora aedifices: Dic animae tuae, habes multa bona reposita in annos plurimos; erit enim qui dicat: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te; quae autem parasti, cuius erunt?* (Lc 12, 20.)

Atque utinam tantum congregata perirent, et non deterius ipse quoque periret congregator ipsorum!

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio duodevicesima.

De remediis contra impuritatem.

(Ex *Ludovico Granatensi,* Dux peccatorum P. 2, c. 6.)

Impuritas est vitium communissimum, maxime tyrannicum, cuius impetus sunt furiosissimi; unde

Digitized by Google

dicit S. Augustinus: «Inter omnes tentationes, quas christiani sustinent, vehementissimae sunt illae, quibus castitas impugnatur, in quibus pugna frequentissima et rara victoria» (De honest. mulier.).

Quando igitur hoc vitium exsecrabile tentat cor tuum, illius impugnationi opponere potes has considerationes. Primo considera, quomodo hoc crimen *coinquinet* non tantum *animam,* quam Dei Filius suo sanguine lavit, sed etiam *corpus,* in quo tamquam in sacro tabernaculo caro Christi requievit. Si magnum crimen est profanare templum materiale Deo consecratum, quid erit profanare templum vivum, in quo habitat Deus? Considera insuper, hoc peccatum non posse committi, quin *scandalum* detur, et pluribus personis nocumentum afferatur; et hoc est, quod maxime gravat conscientiam in hora mortis.

Considera quoque hoc vitium, quod nobis suaviter blanditur,

Digitized by Google

nullam praeter suum initium habere suavitatem, et eius *finem* semper esse *amarum*. Quare dicit Sapiens: *Fovea profunda est meretrix, et puteus angustus* (Prv 23, 27). Nulla re facilius quam hoc vitio capiuntur homines, sed si capti sunt, quomodo exire possunt? Ideo retibus comparatur, quorum introitus latus, exitus angustus.

Considera, quot *mala secum adducat* haec pestis: rapit honorem, illum thesaurum pretiosum, quia nullum vitium adeo turpe est et talem infamiam causat. Vires debilitat, pulchritudinem corrumpit, sanitatem pessumdat, iuventutem deflorat, vires mentis pariter diminuit, aciem intellectus hebetat et retundit. . . .

Considera, quod, quo plus huic vitio indulges, eo minus satisfactionem invenies. . . . Considera etiam, quod dicit Gregorius: «Momentaneum est quod delectat, aeternum quod cruciat.» Con-

Digitized by Google

sidera pretium et dignitatem puritatis virginalis. . . .

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio undevicesima.

De remediis contra impuritatem.

(Ex *Ludovico Granatensi* ibid. c. 7.)

Regulae quaedam speciales:

1. Resistere debes statim ab initio. Principiis obsta, statim reiciendo imagines periculosas; nam sicut lignum alit ignem, sic cogitationes nutriunt desideria.

2. Sensibus invigila, et imprimis cura, ne oculi aliquid periculosi videant. Nam saepe homo simpliciter et absque intentione oculos conicit aliquo, et tamen anima vulnerabitur. Et quoniam ictus oculi in feminas emollit animam, Ecclesiasticus monet: *Noli circumspicere in vicis civitatis, . . . averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias (eam). Propter speciem mulieris multi perierunt:*

Digitized by Google

et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit (Eccli 9, 8 sq). Et Iob ait: *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine* (31, 1). Memento etiam Davidis, regis istius secundum cor Dei, quem unus aspectus reum fecit homicidii, adulterii, scandali.

3. Sermonem inhonestum devita. Quem si audire cogeris, tristem vultum ostendas. Nec ipse lingua proferas. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava* (1 Cor 15, 33)..... Angelum custodem cogita praesentem qui testis erit in iudicio tuo. Repraesenta tibi iudicium Dei et flammam tormentorum aeternorum. Omnis difficultas vincitur timore maioris incommodi; sic ignis impuritatis vincetur recogitatione ignis inferni.

4. Numquam loquere solus cum sola; nam solitudo incitat homines ad omne malum.

5. Time munuscula, visitationes, epistolas mulierum; singula sunt

Digitized by Google

vincula ad capienda corda et incitamenta ignis malorum desideriorum. Totum secretum consistit in vitandis occasionibus. De nulla re adeo gaudet diabolus, ut dicit S. Gregorius, quam de mulieribus devotis, qui sacerdotis castitati insidiantur.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio vicesima.

De castitate.

(Ex *S. Bernardo,* Tractatus de moribus et officio episcoporum c. 3, n. 8.)

Castitas nullius quidem coloris est, sed non nullius decoris, nec mediocris decoris, qui divinos quoque delectare possit aspectus. Quid castitate decorius, quae mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus et angelus, sed felicitate, non virtute. Sed etsi illius castitas

Digitized by Google

felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quae in hoc mortalitatis et loco et tempore statum quemdam immortalis gloriae repraesentat; sola inter nuptiarum solemnia, morem beatae illius vindicat regionis, in qua neque nubunt neque nubentur; praebens quodammodo terris caelestis iam illius conversationis experientiam. Vas interim fragile quod portamus, in quo et crebro periclitamur, tenet castitas (ut monet Apostolus) in sanctificationem, et instar odoriferi balsami (1 Thess 4, 4), quo condita cadavera incorrupta servantur, sensus ipsa et artus continet et constringit, ne dissolvantur otiis, ne corrumpantur desideriis, ne carnis voluptatibus computrescant; quemadmodum legitur de quibusdam, quia *computruerunt ut iumenta in stercore* (Ioel 1, 17). Hoc itaque tantae pulchritudinis ornamentum digne dixerim sacerdotium honorare, quod dilectum Deo et ho-

Digitized by Google

minibus faciat sacerdotem, cuius quippe memoria non in carnis successione, sed in spirituali benedictione sit, reddatque similem in gloria Sanctorum, in hac licet adhuc regione dissimilitudinis constitutum.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio vicesima prima.

De superbia et humilitate.

(Ex *Glaudio Arvisenet,* Memoriale vitae sacerdotalis c. 26.)

Fili, aliis praelatus es: cave, ne susceptae benedictionis beneficium vertas ad ambitionis argumentum. Cave, ne domineris in cleris.

Odibilis coram Deo et angelis et hominibus superbia. Ipsa tamen mentes eorum, qui ad statum sublimem a Patre meo evecti sunt, facile invadit, nisi accuratius vigilent.

Vide, quomodo Luciferum, angelorum principem, vicerit, et

Digitized by Google

de alto caelo ad ima inferi detruserit.

Vide, quomodo in mea societate humilitatis meae discipulos tentaverit. . . .

Ergone te a superbiae tentatione immunem credes? . . .

Utique tota et vera christianae sapientiae disciplina in vera et voluntaria humilitate consistit.

Haec fundamentum est fidei, redigens omnem intellectum in captivitatem.

Haec ceterarum virtutum radix, sicut omnis peccati initium superbia est. . . .

Tu scis, fili, quia perfectus eris, si sis sicut ego Magister tuus. . . .

Ego mitis sum et humilis corde. Scis, quia, cum essem Filius Dei, exinanivi memetipsum, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo. Quinimo et in passione mea fui quasi vermis et non homo: opprobrium hominum et abiectio plebis.

Digitized by Google

Vide, quanta sit tibi me sequendi facilitas. . . .

Descende: nullus obstabit, quin excelsa declines et descendas. . . .

Tolle, fili, tolle iugum humilitatis super te, et invenies pacatissimam requiem animae tuae.

Utique dabitur tibi pax mea, quae omnem sensum exsuperat.

Audi me, fili mi, si ad hoc perveneris, ut nullatenus honorari et aestimari ambias, sed econtra fugias; quinimo contemni, vilipendi appetas: quid te ultra perturbare poterit? Quid ad te despectus, quando tibi iniuriae deliciae erunt? Quid colaphi, quando gaudebis te dignum habitum esse contumeliam pati? Quid ad te ceterorum exaltatio et iactantia, quando tu nihil nisi humiliationem amabis? . . .

Considera frequenter eas quas habes te demittendi causas: peccata tua, defectus tuos, infirmitates tuas, tuam ad malum proclivitatem, tuam ad bonum tarditatem, . . . varios humiliationis actus crebro

Digitized by Google

exerce. Conare, ut velis nesciri, ut nihil magni de te sentias et loquaris, ut omnium ultimum te iudices. . . . Conare, ut, si ab aliis contemneris, id patiens et silens sustineas: quinimo gaudens Deo ex hoc gratias agas.

Humiliare sincere: cognoscens, quia ficta humilitas superbia est et hypocrisis. Humiliare prudenter, ne te plus quam decet abiciens, ovium tuarum vitam sub reverentiae ac disciplinae vinculo continere non possis. . . .

Humiliare: et in vita tua facies mirabilia, et in morte tua securus eris, et in aeternum coronatus triumphabis.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio vicesima secunda.

De pigritia et fervore.

(Ex *Ludovico de Ponte,* Meditationes P. I, medit. 24.)

1. Acedia sive, ut vulgo dicitur, pigritia, est inordinata quae-

Digitized by Google

dam tristitia et importunum studiosorum exercitiorum taedium. *Variis modis* in ea *peccatur* propter plura vitia, quae secum trahit.

Primus est nimius *timor laborum* et asperitatum virtutis, quam propterea fugit.

Secunda est *pusillanimitas* et inertia in rebus arduis et divinis servitiis aggrediendis.

Tertius est *languor* in lege Dei, consiliis evangelicis, constitutionibus et legibus status et officii mei observandis.

Quarta est *inconstantia* in virtutum actionibus prosequendis et ad finem perducendis.

Quinta est *exanimatio* quaedam et diffidentia.

Sextus est *rancor et indignatio* contra spirituales viros.

Septima est *otiositas*, qui pretiosum tempus, a Deo mihi concessum, frustra amitto, nimius item *somnus*, et in bonis operibus, spiritualibus praecipue exercitiis, orationis, lectionis, Missae,

Digitized by Google

concionum et sermonum de Deo, *somnolentia:* propterea quod exiguum in illis gustum inveniam.

Octava est *vagatio* ad diversa illicita et vana, ut in illis solatii quidpiam inveniam.

Denique cum hoc vitio cohaerent peccata omnia *omissionis et negligentiae* in divini obsequii rebus.

2. Gravissima *acediae et pigritiae damna:*

Prima damna sunt gravissima, quia acedia et tepiditas gravis est et *periculosa umbra mortis*, inferno valde propinqua, cor a caelestibus consolationibus evacuat, implet vero tristitiis, aperit portam innumerabilibus daemonis tentationibus, qui ex instituto accedit, ut animam inhabitet, quam *invenit* otiosam et *vacantem, et secum adducens septem alios spiritus nequiores se*, hoc est multitudinem peccatorum, qui *ingressi habitant ibi* (Lc 11, 25 sq); omnes enim ad animam pigram et otiosam, quod *multam malitiam do-*

Digitized by Google

ceat otiositas (Eccli 33, 29), se recipiunt, ut quae incultae vineae sive agro similis sit, de quo Salomon: *Per agrum hominis pigri transivi: et ecce totum repleverant urticae, et operuerant superficiem eius spinae, et maceria lapidum destructa erat* (Prv 24, 30 sq). Quid enim aliud urticae sunt quam peccata? et spinae, quam passiones et conscientiae amaritudines? . . .

Tepiditas velut *tinea est virtutum et vermis bonorum operum,* conscientiarum aloë, divinarum consolationum exilium, meritorum diminutio et laborum augmentum. Onus divinae legis, quod in se est leve, fit illis grave. . . .

Denique, sicut *servus piger, qui fodit talentum Domini sui,* iis, quae prius habebat, *spoliatus, missus est in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium* (Mt 25, 28); ita piger cruciabitur in inferno poena eius pigritiae accommodata. . . .

Digitized by Google

3. *Bona ex fervore oriunda:* Primum enim, opera virtutis ferventer operanti reddentur *facilia et iucunda.* Auget praeterea merita, duplicat accepta talenta, magnam affert animae pacem atque perseverantiam usque ad obtinendam gloriam multum reddit securiorem.

Licet etiam perpendere, quam *Deo Domino nostro sit gratum,* quod ei ferventer laetoque animo serviam. Cum enim ipse sit essentialiter ipsa laetitia, et *in omnibus operibus suis,* quae facit, ac donis, quae nobis tribuit, *laetetur* (Ps 103, 31), complaceatque sibi, dum nobis benefacit; iustissime iubet sibi serviri et, quando petit, sibi dari, non cum taedio, tristitia, aut violenter, aut repugnanter, sed cum fervore et laetitia cordis (Ps 99, 2); *hilarem enim datorem diligit Deus* (2 Cor 9, 7). Ideo dicam cum Davide: *Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me* (Ps 50, 14).

Digitized by Google

O mundi Salvator! qui *exultasti ut gigas ad currendam viam* (Ps 18, 6), etiamsi asperam et difficilem, impertire mihi spiritus salutem et laetitiam, quam mihi promeruisti: quo cursum meum ita curram, ut aeternam coronam consequi merear. Amen.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio vicesima tertia.

De obedientia sacerdotis.

(Ex Card. *Manning,* Sacerdotium aeternum c. 16.)

Conabimur accurate ostendere, in quo sacerdotis obedientia consistat.

1. Primo consistit in *obedientia amorosa erga Ecclesiam.* Obedientia sine amore larva est, non vivens realitas. Obedisse quia debemus, obedisse ex poenarum vel censurarum timore non sufficit. Obedientia, quam ostendit Salvator noster, cum baptizaretur, nobis

Digitized by Google

exemplar est. Quare ipse Dei Filius, omni peccato carens, baptizatus fuit baptismo peccati? Quare baptizatus a servo? Quare in medio peccatorum et in conspectu inimicorum? Ad implendam omnem iustitiam, ut humilitas et obedientia erga Patrem perfectum opus haberet. Quam rationem ergo afferre potest sacerdos ad non obediendum? Lex vel praescriptum, dicat, sunt inutilia, molesta, malae interpretationi ansam praebent, lata ab auctoritate a studio partium non immuni aut non bene de rebus gestis edocta. Utut vera sunt haec omnia, nihilominus officium et gratia obedientiae remanent immutata et ingenium docile obedit. Qui auctoritatem crisi subiciunt, non sunt dociles. Etiamsi obediunt, amittunt gratiam obedientiae. . . . Spiritus Christi est spiritus obedientiae; et spiritus divini capitis pervadit corpus eius mysticum. Axioma illud: «Sentire cum Ecclesia», significat credere

Digitized by Google

cum Ecclesia, sperare cum Ecclesia, amare cum Ecclesia, et ideo obedire cum Ecclesia. Sacerdos ante omnes vir obedientiarum. Obedit Patri ut filius, Filio ut sacerdos, Spiritui Sancto ut discipulus, Ecclesiae tamquam matri, Episcopo suo tamquam testi visibili et vicario horum omnium, qui Dei nomine eius obedientiam accipit in persona Iesu Christi.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio vicesima quarta.

De obedientia sacerdotis.

(Ex Card. *Manning*, Sacerdotium aeternum, sequentia.)

2. Aliud signum obedientiae mentalis et docilitatis est *devotio erga Sanctos*. Illi sunt exempla nostra. Illorum consilia, dicta, agendi ratio nobis sunt regula et admonitio. In eorum vita praecepta et consilia sunt quasi incarnata. Omnis sacerdos devotus suos habet patronos. Beata autem

Digitized by Google

Virgo Maria est patrona omnium, Mater omnium. . . . Similiter S. Ioseph, quia est patronus totius Ecclesiae. . . .

3. Tertium signum obedientiae mentalis est *reverentia erga theologos*. Verum quidem est, nos notam haeresis tantum incurrere, cum fidem impugnamus; at vero possumus incurrere notas erroris, temeritatis, offensionis piarum aurium, si reicimus opiniones, quae sunt de fide divina aut catholica. . . . Verum est, sententiam communem theologorum non efficere, ut aliquid fiat de fide divina; sed eorum consensus creat traditionem intellectualem, cui nemo suum iudicium sine temeritate opponere potest. . . .

4. Aliud signum obedientiae mentalis seu docilitatis est *timor et suspicio novitatum*. . . . Novitatum amor inventionem novarum opinionum semper molitur et criticismus cohiberi non patitur. Vivimus in aevo illimitatae libertatis

Digitized by Google

intellectus. Immo sacerdotes sine scrupulo vel haesitatione legunt libros et scripta, quae sub regulis Indicis cadunt. . . . Sacerdotibus magna prudentia et cautela opus est, quippe qui duces et doctores sint fidelium. Periculosum est admittere et propagare errorem speculativum vel minimum. Magna vigilantia indigemus erga id quod hodie summis laudibus extollitur tamquam «moderna cogitandi ratio». Ratio mundi moderni continuo a Deo abducit.

5. Unum adhuc addendum remanet signum: *diffidentia sui* sub omni respectu, praesertim in iudiciis speculativis et moralibus. Ad acquirendam hanc diffidentiam sui tria meminisse sufficit: primo, quam saepe erraverimus; secundo, quam pauca legerimus; tertio, quam parum studio incubuerimus.

Unctionem Spiritus Sancti, i. e. septem dona: spiritum sapientiae et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiae et pietatis, et

Digitized by Google

timoris Domini, quivis sacerdos accipit; at quo magis ea colit religiosa obedientia, eo conformior fit magistro suo Christo.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio vicesima quinta.

De virtute paupertatis.

(Ex *S. Francisco Salesio,* Introductio ad vitam devotam P. 3, c. 14 et 15.)

Beati pauperes spiritu; ipsorum est enim regnum caelorum (Mt 5, 3). Vae igitur divitibus spiritu, nam portio eorum erit infernus. Is dives spiritu est, cuius cor sit in divitiis, et cuius divitiae impleant eius cor. Pauper spiritu is est, qui nec divitias in corde, nec cor in divitiis ponat.

Non idem est possidere venenum et veneno interfici, . . . et sic fieri potest, ut possideas divitias nec tamen ipsarum veneno intereas, si nempe ipsas in domo tua vel in marsupio tuo, non autem in corde

Digitized by Google

portas, dives substantiis, sed spiritu pauper.

Nemo umquam concedet se avarum esse; vilem hanc cordis angustiam unusquisque repudiat. Excusant se homines, praetendentes curam familiae aut prudentiam et praevisionem; numquam sat pecuniae habent, sed semper aliquam speciosam rationem plura quaerendi inveniunt; quinimo maxime avari tantum abest ut vitium suum confiteantur, ut etiam intima conscientia se avaros esse non credant; nam febri ardenti hoc vitium simili est, quae quo validior fit, eo minus a sua victima percipitur.

Si ardenter et anxie desideras habere quod non habes, utut dicere potes, te illud non iniuste acquirere velle, iam revera hoc vitio infectus es. Si quis anxie et ferventer bibere desiderat, utut aquam tantum concupiscit, se febricitare indubie probat.

Si fortiter adhaeres rebus, quas possides, quasi totaliter iis ab-

Digitized by Google

sorptus; si cor tuum implent, omnesque cogitationes tuas occupant, teque anxio replent timore eas amittendi, crede mihi, iam hac febre quadamtenus laboras; nam febricitantes aquam sibi oblatam bibunt cum ardenti aviditate, qualem apud omnimode sanos non cernes.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio vicesima sexta.

De virtute paupertatis.

(Ex *S. Francisco Salesio,* Introductio ad vitam devotam, sequentia.)

Regulae quaedam practicae:

(Si autem divitias possides,) de iis multo magis sollicitus esse debes quam homines huius saeculi, ut nempe bene iis utaris. Hortulani regum et principum nonne diligentiores sunt in colendis et exornandis hortis suae curae commissis quam forent, si de sua proprietate ageretur? Et hoc, quia horti sunt regum et principum, quibus assiduo placere servitio vo-

Digitized by Google

lunt atque cupiunt. Ea quae nos possidemus non sunt nostra propria; Deus nobis haec dedit, ut ea colamus, et vult, ut iis recte utentes, ipsa reddamus cum fructu, et talem curam de iis habendo, acceptabile Ipsi exhibemus servitium.

Semper dispone de aliqua parte tuorum reddituum ad eleemosynas distribuendas pauperibus. . . . O quanta sanctitas, quantae divitiae, pauper fieri (saltem aliquatenus) eleemosynas tribuendo!

Ama paupertatem et pauperes; per hoc enim pauper fies ipse, nam per amorem assimilamur obiecto amoris, ut dicit Sacra Scriptura.

Si pauperes amas, . . . frequenter eos visita, cum ipsis loquere sicut amicus, libenter iis de tua communicans abundantia.

Visne ulterius progredi? Non contentus pauper fuisse cum pauperibus, te ipsum redde illis pauperiorem. Servus est minor domino

Digitized by Google

suo: tu pauperum servus sis. Ipsis inservi, sicut sanctus rex Ludovicus et S. Elisabeth Hungariae. . . .

Nemo tam dives est, quin saepius subiaceat occasionibus aliquid patiendi. Utut dives es, semper aliquam egestatem invenies. Tales parvas tribulationes semper cum gaudio accipe, illas ex intimo corde saluta et cum laetitia suffer.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio vicesima septima.

De necessitate orationis.

(Ex *S. Alphonso de Ligorio,* Magnum orationis medium P. 1, c. 1.)

1. *Scripturae sacrae* luce clarius demonstrant, necessariam nobis esse orationem, si ad salutem pervenire cupiamus. *Oportet semper orare et non deficere* (Lc 18, 1). *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (Mt 26, 41). *Petite, et dabitur vobis* (ib. 7, 7). Verba

Digitized by Google

illa: *oportet, orate, petite,* praeceptum ac necessitatem significant et denuntiant.

2. Perspicua est *ratio.* Sine gratiae auxilio nihil boni facere possumus: *Sine me nihil potestis facere* (Io 15, 5). *Non quod sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (2 Cor 3, 5). Illud autem gratiae auxilium ex ordinaria providentia Deus non concedit nisi orantibus.... «Constat, alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia non nisi orantibus praeparasse, sicut perseverantiam» (*S. Aug.*, De dono persev. c. 16). ... Posito ergo ex una parte, nos sine gratiae auxilio nihil posse; et ex altera, illud auxilium a Deo ut plurimum non concedi nisi orantibus: quis non videt consequens esse, orationem nobis esse ad salutem prorsus necessariam?

3. Omnes comparationes, a *SS. Patribus* propositae, abso-

Digitized by Google

lutam designant necessitatem, qua singulis ad salutem consequendam opus est oratio. . . . Nos in summa nihil sumus nisi pauperes mendici, qui tot bona habemus, quot Deus velut stipem nobis erogavit. . . . Sicut humor plantis necessarius est, ut vegetentur neque arescant, sic, inquit Chrysostomus, ut salutem consequamur, necessaria est oratio. Et alibi ait: «Sicut corpus sine anima non potest vivere, sic anima sine oratione mortua est» (De precatione orat. 1). Oratio inter arma, ad tutelam contra inimicos necessaria, primum locum occupat; qui hoc propugnaculo non utitur, inquit S. Thomas, periit (1, q. 94, a. 4 ad 5). Et re quidem vera, quomodo inimicorum viribus resistere, et Dei praecepta servare possemus — praesertim postquam Adami protoparentis peccato adeo debiles atque infirmi evasimus —, nisi praesto esset illud orationis subsidium, quo lucem a Domino et vires ad praecepta servanda impetremus?

Digitized by Google

4. Dominus ad servandam in nobis humilitatem exercendamque fiduciam inimicos viribus nostris insuperabiles nos adoriri sinit, ut oratione auxilium ad resistendum a sua misericordia obtineamus. Et illud praesertim animadvertendum, impuris carnis tentationibus neminem posse resistere, nisi irruente tentatione Deo se commendet. Est enim adeo formidabilis hic adversarius, ut ad eius aggressionem anima velut omni luce privetur, omnium meditationum bonorumque propositorum deponat memoriam, fidei quoque veritates nihili faciat, et divinae ultionis timorem propemodum amittat. . . . Qui tunc ad Deum non recurrit, periit. Unicum contra hanc tentationem propugnaculum, inquit S. Greg. Nyss., oratio est: «Oratio pudicitiae praesidium est» (De Orat. Dominica orat. 1). . . . Vires ad castitatem exercendam nobis desunt, nisi Deus eas concesserit; neque eas concedit

Digitized by Google

nisi petentibus. Quisquis vero petit, certo eas impetrabit.

In summa, inquit S. Augustinus, numquam bene vivere noverit, qui non novit bene precari. «Novit recte vivere, qui recte novit orare» (Sermo 55, n. 1).

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio duodetricesima.

De orationis efficacia.

(Ex *S. Alphonso de Ligorio,* Magnum orationis medium P. 1, c. 2.)

1. Ut intelligatur, orationes quantum apud Deum valeant, satis est innumerabiles in divinis *Scripturis* tam Veteris quam Novi Testamenti recolere promissiones orantibus a Deo factas: *Clama ad me, et exaudiam te* (Ir 33, 3). *Petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis. Omnis qui petit accipit, et qui quaerit invenit* (Mt 7, 7 sq). *De omni re, quamcumque petierint,*

Digitized by Google

fiet illis a Patre meo (ib. 18, 19). Et sescenti alii consimiles habentur textus.

2. *SS. Patres* omnipotentem eam vocant. «Oratio, cum sit una, omnia potest», ait Theodoretus (apud *Rodriguez,* Exercit. perfectionis Pars I, tract. 5, c. 14). Et S. Bonaventura: «Per ipsam», inquit, «impetratur obtentio omnis boni et amotio omnis mali» (in Lucam c. 11). Magnae quidem sunt inferorum vires; sed «oratio», inquit S. Bernardus, «daemoniis omnibus praevalet» (De modo bene vivendi c. 49).

3. Quantum Deo placet, in periculis ad ipsum nos confugere, tantum ei displicet, orationis nos esse negligentes. «Sicut ille, qui tenet castrum regis», inquit S. Bonaventura, «si obsideretur ab inimicis, reputaretur infidelis, nisi peteret succursum, vel nisi exspectaret a rege auxilium» (Diaeta salutis tit. 2, c. 5), ita Deus velut proditorem habet eum, qui

Digitized by Google

tentationum insidiis oppugnatus, ab ipso auxilium non petit: exoptat enim et exspectat preces, ut abundanter adiuvet.

4. Omnia nobis desunt; postulantibus vero nobis nihil deerit. Nos quidem pauperes sumus; Deus vero dives est et prorsus liberalis (inquit Apostolus) ei, qui ipsius implorat auxilium: *Dives in omnes, qui invocant eum* (Rom 10, 12).

5. *Mentalis orationis* hic est fructus maximus, a Deo petere gratias, ad perseverantiam et aeternam salutem necessarias. Oratio mentalis ad conservandam Dei gratiam hanc praecipue ob causam est moraliter necessaria, quia nisi anima meditationis tempore se colligat, ut petat auxilia, quibus indiget ad perseverantiam, numquam alias illud faciet; nam sine meditatione neque de iis petendis, neque etiam de petendi necessitate cogitabit. Qui vero quotidie meditationi vacat, et animae suae

Digitized by Google

indigentiam, et pericula, in quibus versatur, et precandi necessitatem rite perspiciet; ac propterea precabitur, easque impetrabit gratias, quarum ope salutem et perseverantiam consequetur.

6. Si ad salutem non pervenerimus, nostra erit omnis culpa, et malus exitus nobis tantum imputari debebit, eo quod preces non adhibuerimus.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio undetricesima.

De orationis conditionibus.

(Ex *S. Alphonso de Ligorio,* Magnum medium orationis P. 1, c. 3.)

Ad quattuor S. Thomas redegit conditiones requisitas, ut precatio effectum consequatur: homo nempe postulet pro se, necessaria ad salutem, pie et perseveranter (2, 2, q. 83, a. 15 ad 2).

1. Prima ergo orationis conditio est, ut quis *oret pro se.* Angelicus

Digitized by Google

enim censet, neminem posse pro aliis ex condigno[1] impetrare vitam aeternam, neque ergo, quod consequens est, illas gratias, quae ad eorum salutem pertineant; cum promissio (inquit) non aliis, sed iis tantum facta sit, qui ipsi orent; *dabit vobis*. Multi doctores nihilominus contrarium tenent. . . . Ceteroquin non dubitatur, quin aliorum preces et utilissimae sint peccatoribus et Deo acceptissimae.

2. Altera conditio haec est, ut eas petamus *gratias, quibus ad salutem indigeamus*, «necessaria ad salutem»; cum exauditionis promissio non respiciat gratias temporales, ad salutem animae non necessarias. . . . Ceterum non idcirco vitio vertimus, res ad vitam praesentem necessarias a Deo peti, quatenus aeterna saluti expediant.

---

[1] «Ex condigno» dicit S. Alphonsus in edit. italica (II 537). Ita etiam habet edit. latina (Romae 1903). Ex contextu ibid. in illis editionibus patet, S. Alphonsum intelligere impetrationem *infallibilem*. Orationem habere vim infallibilem, si pro aliis fiat, communiter negatur a theologis.

Digitized by Google

3. *Pie, i. e. cum humilitate et fiducia.* a) Servorum suorum preces intuetur quidem Dominus, sed servorum humilium: *Respexit orationem humilium* (Ps 101, 18). Secus enim eas non aspicit, sed repellit: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratias* (Iac 4, 6). Si quis ergo viderit, se aliquid boni fecisse, neque in peccata se incidisse graviora iis, quae revera commisit, cum S. Paulo dicat: *Gratia autem Dei sum id quod sum* (1 Cor 15, 10). Et ob eamdem rationem numquam desistat contremiscere et timere, ne in quavis occasione procumbat: *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.* Quibus verbis Apostolus monere voluit, in magno cadendi periculo versari eum, qui a lapsu securum se reputat. b) Hoc imprimis monet S. Iacobus, ut precemur cum certa fiducia nos exauditum iri: *Postulet autem in fide, nihil haesitans* (1, 6). S. Thomas orationem, sicut vim merendi

Digitized by Google

a caritate habeat, ita efficaciam impetrandi habere docet a fide et fiducia (2, 2, q. 83, a. 15 ad 3). . . . Qualis nostra erit fiducia, tales quoque gratiae erunt, quas a Deo accipiemus. . . . Divinam misericordiam immensum fontem esse, ait S. Bernardus; qui maximum vas fiduciae eo affert, maximam inde refert bonorum copiam (Serm. 3 De Annunt. B. M. V. n. 3).

4. *Perseveranter*. Verum quidem est, non posse finalem perseverantiam a nobis promereri: «Aliunde haberi non potest (ita docet sacra Tridentina Synodus, sess. VI, c. 13), nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet.» Attamen, inquit S. Augustinus, precibus aliquo modo promereri potest: «Magnum hoc Dei donum suppliciter emereri potest» (De dono persev. c. 6, n. 10), i. e. supplicando impetrari. Et qui precatur, subiungit Suarez, infallibiliter illud impetrat

Digitized by Google

(De merito c. 38, n. 16). Ad illud tamen obtinendum et salutem sibi consequendam requiritur (ita *S. Thomas* 3, q. 39, a. 5), ut preces sint perseverantes et continuae. . . . Idemque ipse Redemptor pluries iam dixerat: *Oportet semper orare et non deficere* (Lc 18, 1). *Vigilate itaque in omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista, quae futura sunt, et stare ante Filium hominis* (ibid. 21, 36).

Nec satis est, inquit Bellarminus, gratiam perseverantiae semel vel paucies efflagitari; usque ad mortem «quotidie petenda est, ut quotidie detur» (De iustificat. III, c. 13). . . . Simul in antecessum a Domino semper petamus gratiam ab oratione numquam abstinendi.

Propositum particulare pro praesenti die.

Digitized by Google

SERIES III.

De septem Ordinibus et de obligationibus ecclesiasticorum.

Meditatio tricesima.

De Clericatu et Ordinibus Minoribus.

(Monitiones desumptae ex Pontificali Romano.)

Clericatus: Filii carissimi animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiae facti estis, et privilegia clericalia sortiti estis; cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis, et habitu honesto, bonisque moribus atque operibus, Deo placere studeatis. Quod ipse vobis concedat per Spiritum sanctum suum. *R.* Amen.

Ostiariatus: Studete, ut, sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperitis et clauditis, sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis vestris claudatis diabolo et aperiatis Deo; ut divina verba quae au-

Digitized by Google

dierint corde retineant et opere compleant: quod in vobis Dominus perficiat per misericordiam suam.

Lectoratus: Quod ore legitis corde credatis atque opere compleatis: quatenus auditores vestros verbo pariter et exemplo vestro docere possitis. Ideoque dum legitis, in alto loco Ecclesiae stetis, ut ab omnibus audiamini et videamini, figurantes positione corporali, vos in alto virtutum gradu debere conversari; quatenus cunctis, a quibus audimini et videmini, caelestis vitae formam praebeatis: quod in vobis Deus impleat per gratiam suam.

Exorcitatus: Studete, ut, sicut a corporibus aliorum daemones expellitis, ita a mentibus et corporibus vestris omnem immunditiam et nequitiam eiciatis: ne illis succumbatis, quos ab aliis, vestro ministerio, effugatis. Discite per officium vestrum vitiis imperare, ne in moribus vestris aliquid sui

Digitized by Google

iuris inimicus valeat vindicare. Tunc etenim recte in aliis daemonibus imperabitis, cum prius in vobis eorum multimodam nequitiam superatis. Quod vobis Dominus agere concedat per Spiritum suum sanctum.

Acolythatus: Studete susceptum officium digne implere. Non enim Deo placere poteritis, si lucem Deo manibus praeferentes, operibus tenebrarum inserviatis, et per hoc aliis exempla perfidiae praebeatis. Sed sicut Veritas dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est. Et sicut Apostolus Paulus ait: In medio nationis pravae et perversae, lucete sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes. Sint ergo lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris, ut filii lucis sitis. Abiciatis opera tenebrarum, et induamini arma lucis. Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem

Digitized by Google

lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. Quae sit vero ista lux, quam tantopere inculcat Apostolus, ipse demonstrat, subdens: Fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate; ut et vos, et alios, et Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc etenim in Dei sacrificio digne vinum suggeritis et aquam, si vos ipsi Deo sacrificium, per castam vitam et bona opera, oblati fueritis. Quod vobis Dominus concedat per misericordiam suam.

Renova proposita a te facta in susceptione Ordinum Minorum.

Meditatio tricesima prima.

De sacro Ordine Subdiaconatus.

(Monitiones desumptae ex Pontificali Romano.)

Filii dilectissimi, ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promovendi, iterum atque iterum considerare debetis attente, quod onus hodie ultro appetitis. Hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro

Digitized by Google

arbitrio ad saecularia vota transire. Quodsi hunc Ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari; et castitatem, illo adiuvante, servare oportebit; atque in Ecclesiae ministerio semper esse mancipatos. Proinde, dum tempus est, cogitate, et si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini huc accedite.

(Post Litanias:) Adepturi, filii dilectissimi, officium Subdiaconatus, sedulo attendite, quale ministerium vobis traditur. . . . Studete itaque ut ista visibilia ministeria . . . nitide et diligentissime complentes, invisibilia horum exemplo perficiatis. Altare quidem sanctae Ecclesiae, ipse est Christus. . . . Cuius altaris pallae et corporalia sunt membra Christi, scilicet fideles Dei. . . . Si itaque humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, praebenda est a vobis aqua caelestis doctrinae,

Digitized by Google

qua purificati, ad ornamentum altaris et cultum divini sacrificii redeant. Estote ergo tales, qui sacrificiis divinis, et Ecclesiae Dei, hoc est, corpori Christi, digne servire valeatis, in vera et catholica fide fundati; quoniam, ut ait Apostolus, omne quod non est ex fide, peccatum est, schismaticum est et extra unitatem Ecclesiae est. Et ideo si usque nunc fuistis tardi ad Ecclesiam, amodo debetis esse assidui. Si usque nunc somnolenti, amodo vigiles. Si usque nunc ebriosi, amodo sobrii. Si usque nunc inhonesti, amodo casti. Quod ipse vobis praestare dignetur, qui vivit et regnat Deus, in saecula saeculorum. *R.* Amen.

Deinde tradit Pontifex calicem cum patena, dicens: Videte, cuius ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis. . . .

Postremo tradit librum Epistolarum, dicens: Accipite librum

Digitized by Google

Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. *R.* Amen.[1]

Renova proposita a te facta in susceptione s. Subdiaconatus.

Meditatio tricesima secunda.

De sacro Ordine Diaconatus.

(Monitiones desumptae ex Pontificali Romano.)

Prius dicit Archidiaconus: Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut hos praesentes Subdiaconos ad onus Diaconii ordinetis.

Pontifex: Scis illos dignos esse?

Archidiaconus: Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor ipsos dignos esse ad huius onus officii.

Pontifex: Deo gratias.

Provehendi, filii dilectissimi, ad Leviticum ordinem, cogitate ma-

[1] Hae sunt binae partiales materiae atque formae s. Subdiaconatus (*Lehmkuhl*, Theol. mor. II, n. 588), posterior forsan integralis tantum.

Digitized by Google

gnopere, ad quantum gradum Ecclesiae ascenditis. . . . Elegimini in Levitico officio. . . . Ecclesiam Dei, veluti tabernaculum, portare et munire debetis ornatu sancto, praedicatu divino, exemplo perfecto. Levi quippe interpretatur additus, sive assumptus. Et vos, filii dilectissimi, qui ab haereditate paterna nomen accipitis, estote assumpti a carnalibus desideriis, a terrenis concupiscentiis, quae militant adversus animam; estote nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei; ut digne addamini ad numerum ecclesiastici gradus; ut haereditas et tribus amabilis Domini esse mereamini. Et quia comministri et cooperatores estis corporis et sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni, sicut ait Scriptura: Mundamini, qui fertis vasa Domini. Cogitate beatum Stephanum, merito praecipuae castitatis ab Apostolis ad officium istud electum.

Digitized by Google

Curate, ut quibus Evangelium ore annutiatis, vivis operibus exponatis, ut de vobis dicatur: Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. Habete pedes vestros calceatos Sanctorum exemplis, in praeparatione Evangelii pacis. Quod vobis Dominus concedat per gratiam suam. *R.* Amen.

Pontifex dexteram ponit super caput, dicens singulis: Accipe Spiritum Sanctum, ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus eius. In nomine Domini. . . .

Post impositionem manuum prosequitur Pontifex: Emitte in eos, quaesumus Domine, Spiritum sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exsequendi septiformis gratiae tuae munere roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas et spiritualis observantia disciplinae. In moribus eorum praecepta tua fulgeant; ut suae castitatis ex-

Digitized by Google

emplo imitationem sanctam plebs acquirat: et bonum conscientiae testimonium praeferentes, in Christo firmi et stabiles perseverent; dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur. Per eumdem Dominum etc. . . .

Tradit librum Evangeliorum: Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini. *R.* Amen. [1]

Renova proposita facta a te in susceptione s. Diaconatus.

Meditatio tricesima tertia.

De sacro Ordine Presbyteratus: I. Monitiones praeviae.

(Monitiones desumptae ex Pontificali Romano.)

Archidiaconus: Reverendissime Pater, postulat etc. (ut in ordinatione diaconi).

---

[1] Hae rursus sunt binae partiales materiae atque formae s. Diaconatus (*Lehmkuhl,* Theol. mor. II, n. 588), prior essentialis, posterior integralis.

Digitized by Google

Pontifex: (Non) fuit frustra a Patribus institutum, ut de electione illorum qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus. . . . Itaque quid de eorum actibus aut moribus noveritis, quid de merito sentiatis, libera voce pandatis; et his testimonium Sacerdotii magis pro merito, quam affectione aliqua, tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo et propter Deum, cum fiducia exeat et dicat; verumtamen memor sit conditionis suae.

Consecrandi, filii dilectissimi, in Presbyteratus officium, illud digne suscipere ac susceptum laudabiliter exsequi studeatis. Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum, ut caelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendent. . . . Servate in moribus vestris castae et

Digitized by Google

sanctae vitae integritatem. Agnoscite quod agitis; imitamini quod tractatis; quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei; sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi; ut praedicatione atque exemplo aedificetis domum, id est, familiam Dei; quatenus nec nos de vestra profectione, nec vos de tanti officii susceptione damnari a Domino, sed remunerari potius mereamur. Quod ipse nobis concedat per gratiam suam. *R.* Amen.

Renova proposita a te facta in susceptione s. Presbyteratus.

Meditatio tricesima quarta.

De sacro Ordine Presbyteratus: II. Ipsa essentia ordinationis [1].

(Desumptum ex Pontificali Romano.)

Pontifex imponit simul utramque manum super caput cuiuslibet

[1] Iuxta sententiam valde probabilem (*Lehmkuhl*, Theol. mor. II, n. 590).

Digitized by Google

ordinandi successive, nihil dicens. Idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes qui adsunt. Quo facto, tam Pontifex quam Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos. Et Pontifex, stans cum mitra, dicit:

Oremus, fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad Presbyterii munus elegit, caelestia dona multiplicet; et quod eius dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Oremus. Flectamus genua. Levate.

Exaudi nos, quaesumus, Domine Deus noster, et super hos famulos tuos benedictionem sancti Spiritus et gratiae sacerdotalis infunde virtutem, ut quos tuae pietatis adspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate

Digitized by Google

eiusdem Spiritus sancti Deus. Per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Dominus vobiscum.

R. Et cum Spiritu tuo.

Sursum corda.

R. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, honorum auctor et distributor omnium dignitatum; per quem proficiunt universa, per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturae rationalis incrementis, per ordinem congrua ratione dispositum. Unde et sacerdotales gradus atque officia Levitarum, Sacramentis mysticis instituta creverunt: ut cum Pontifices summos regendis populis praefecisses, ad eorum societatis et operis adiumentum, sequentis

Digitized by Google

ordinis viros et secundae dignitatis eligeres. Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes, Moysi spiritum propagasti; quibus ille adiutoribus usus, in populo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic et in Eleazarum et Ithamarum filios Aaron paternae plenitudinis abundantiam transfudisti, ut ad hostias salutares et frequentioris officii sacramenta, ministerium sufficeret Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apostolis Filii tui Doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis praedicationibus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostrae, Domine, quaesumus, haec adiumenta largire, qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quaesumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem; innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis; ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum

Digitized by Google

exemplo suae conversationis insinuent. Sint providi cooperatores ordinis nostri; eluceat in eis totius forma iustitiae, ut bonam rationem dispensationis sibi creditae reddituri aeternae beatitudinis praemia consequantur. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. *R.* Amen.

Renova foedus, quod cum Deo in hoc solemni momento iniisti.

Meditatio tricesima quinta.

De sacro Ordine Presbyteratus: III. Reliqua.

(Desumptum ex Pontificali Romano.)

Dein, imponens stolam in modum crucis, dicit: Accipe iugum Domini; iugum enim eius suave est, et onus eius leve.

Imponens casulam: Accipe vestem sacerdotalem, per quam caritas intelligitur; potens est enim

Digitized by Google

Deus, ut augeat tibi caritatem, et opus perfectum. *R.* Deo gratias.

Dein surgit, et dicit: Deus sanctificationum omnium auctor, cuius vera consecratio plenaque benedictio est, tu, Domine, super hos famulos tuos, quos ad Presbyterii honorem dedicamus, munus tuae benedictionis infunde; ut gravitate actuum et censura vivendi probent se seniores, his instituti disciplinis, quas Tito et Timotheo Paulus exposuit; ut in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint, credant; quod crediderint, doceant; quod docuerint, imitentur; iustitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem ceterasque virtutes in se ostendant; exemplo praebeant; admonitione confirment; ac purum et immaculatum ministerii sui donum custodiant; et in obsequium plebis tuae, panem et vinum in corpus et sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment: et inviolabili caritate in virum

Digitized by Google

perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, in die iusti et aeterni iudicii Dei, conscientia pura, fide vera Spiritu sancto pleni resurgant. Per eumdem Dominum etc. *R.* Amen.

Tunc Pontifex incipit hymnum: Veni Creator Spiritus. *Dein cum oleo catechumenorum inungit unicuique ambas manus simul iunctas, in modum crucis, dicens:* Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem et nostram benedictionem. *R.* Amen.

Producit manu signum crucis super manus, et prosequitur: Ut quaecumque benedixerint, benedicantur; et quaecumque consecraverint, consecrentur et sanctificentur, in nomine Domini nostri Iesu Christi. *Et quilibet ordinandus respondet:* Amen.

Tum tradit cuilibet calicem cum vino, et patenam superpositam cum Hostia, et dicit: Accipe potestatem offerre sacrificium Deo,

Digitized by Google

Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini. *R.* Amen. [1]

Dein prosequitur Missam, quam a Canone, Sacerdotes ordinati dicunt una cum Episcopo.

Post Communionem, Ordinati Sacerdotes recitant Credo in Deum . . .

Quo finito Pontifex imponit ambas manus super capita singulorum, dicens: Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis; et quorum retinueris, retenta sunt [2].

Dein, explicans casulam, dicit: Stola innocentiae induat te Dominus.

Mox unusquisque ponit manus iunctas inter manus Pontificis dicentis: Promittis mihi et successoribus meis reverentiam et ob-

---

[1] Materia probabilius accidentalis (*Lehmkuhl*, Theol. mor. II, n. 590). Haec forma iuxta quosdam est essentialis partialis (cf. ibid.), iuxta plerosque accidentalis integralis.

[2] Haec materia et forma iuxta quosdam essentiales partiales sunt (cf. ibid.), iuxta plerosque accidentales integrales.

Digitized by Google

edientiam. Et ille respondet: Promitto.

Tunc Pontifex, tenens manus, osculatur unumquemque, dicens: Pax Domini sit semper tecum. *Et ille respondet:* Amen.

Pontifex (post monitum de celebratione) presbyteris benedicit: Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos; ut sitis benedicti in ordine sacerdotali, et offeratis placabiles Hostias pro peccatis atque offensionibus populi, omnipotenti Deo, cui est honor et gloria, per omnia saecula saeculorum. *R.* Amen.

Renova proposita a te facta in susceptione s. Presbyteratus.

Meditatio tricesima sexta.

De dignitate sacerdotii et de sanctitate ab ipso requisita.

(Ex Card. *Bona,* De sacrificio Missae c. 3, § 1.)

Nulla est inter homines dignitas, nulla excellentia, cui possit sacer-

Digitized by Google

dotalis dignitas comparari. Omnium principum fulgorem superat, omnium regum potestatem excedit; illorum enim auctoritas circa temporalia et terrena versatur, sacerdotis autem potentia etiam ad aeterna et caelestia extenditur, pro quibus comparandis omnes principes et reges ad sacerdotes confugere, opem eorum implorare seque illis subicere non erubescunt. Ideo ab apostolo dictus est sacerdos *ab hominibus assumi, ut offerat dona et sacrificia* (Hebr 5, 1); ac si super alios elevatus communem hominum conditionem antecellat, quasi *mediator Dei et hominum in his quae sunt ad Deum* (1 Tim 2, 5. Hebr 5, 1) constitutus. A Malachia angelis aequiparatur: *Labia sacerdotis custodient scientiam . . . angelus enim Domini exercituum est* (Mal 2, 7). Immo ex potestate, quam habet, absolvendi a peccatis et conficiendi corpus et sanguinem Christi, etiam angelis superior est; et, ut ait

Digitized by Google

Nazianzenus, quaedam illi divinitas inest, aliosque efficit deos.

Haec te sedulo considerare oportet, quicumque es Christi sacerdos, ne ad te pertineat Psalmographi sententia dicentis: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis* (Ps 48, 13). Nihil in te terrenum sit, nihil commune cum populo. Sit angelica conversatio tua, vita divina, mores illibati. Quid turpius quam honor sublimis et vita deformis, sancta professio et illicita actio? Vide igitur, quam digne actio respondeat nomini, mores dignitati. Quodsi sacerdotes antiquae legis iussit Deus sanctos esse, ut incensum et panes propositionis convenienter offerant, quanto maiorem sanctitatem inesse tibi oportet, qui Filium Dei quotidie offers et suscipis? Et si solet corpus ciborum, quibus nutritur, qualitatibus imbui, aequum sane est, ut Christi in Eucharistia exsistentis, quo

Digitized by Google

singulis diebus vesceris, conditiones imiteris et virtutes perfecte exprimas.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio tricesima septima.

De clericorum agendi ratione in mundo.

(Ex *Ioanne Baptista Massillon*, Episcopo Conferentiae I, Conf. 8.)

1. *Propter quaenam motiva sese mundo ingerere liceat.*

Primo suppono, quod si Deus nos ad aliquem locum vocat, pericula illius loci multo minora sunt relate ad nos. Deo convenit, ut *scuto bonae voluntatis suae* protegat eos (Ps 5, 13), quos ipse periculis exposuit, ut dexteram. sicut Petro, iis porrigat, qui nonnisi ipsius iussu ambulant supra aquas profundas et turbulentas.

Hac veritate praesupposita, primum, quod nobis mundum ingredi volentibus, a nobismetipsis est inquirendum, hoc est: Deusne

Digitized by Google

ipse nos vocet? Aliis verbis: Propter quaenam motiva, quonam fine mundum ingrediamur?

Porro triplex species motivorum distingui potest: dantur motiva scelesta, dantur apparenter indifferentia, dantur sancta.

a) De *scelestis* verbum facere, supervacaneum est.

b) *Apparenter indifferentia* sunt haec: recreatio et dissipatio post laborem, urbanitas et decentia mundana, quae exigere videntur, ut visitationes instituamus etc.

Concedimus, hominem non semper occupari posse rebus seriis, et officiis suis. Sed si recreatione et dissipatione indigemus, numquid necesse est, ut inter homines mundanos illa quaeramus? Ecquid? non poteris invenire inter confratres et socios tuos ecclesiasticos, aliquos homines sapientes, rationabiles, indolis suavis, et virtutis te aedificantis, quibuscum gustare possis piae conversationis et innocentis recreationis gaudium?

Digitized by Google

Numquid societas confratris tibi oneri foret, et recreationem impediret? Tot ministri sacri, honore dignissimi, diversis scientiis instructi, taedium tibi ingererent, et homines mundanos potius eligeres? ... Annon saepius e mundo rediens, tecum adduxisti animam, repletam imaginibus vanis, aut periculosis, et cui omnis labor serius displicere incipiat, verbo: gustum mundanum, qui omnis alius rei nauseam creet? ... Saepe tali modo diabolus nos seducit, et non audens statim proponere crimen, causat, ut dormitemus, et lente in insidias innocentiae nos abducit. Et si a gravibus criminibus abhorremus, e contra non abhorremus a conversatione, quae speciem quamdam probitatis et virtutis prae se fert.

c) Tandem *motiva sancta* revera securum introitum in mundum reddunt: caritas, functiones ministerii adimplendae. Iesus Christus ipse domum publicani intrat, ut

Digitized by Google

eum filium Abrahae reddat; Ierosolymam ascendit die festo, ut gloriam Patris laesam per irreverentiam vendentium restituat. Apostoli eius iussu in domos intrant, ut pacem eius communicent. En exemplaria nobis! . . .

Interroga itaque teipsum: Eritne Deus glorificatus? Officiorumne meorum impletionem mihi propono? Peccatoresne salvos facere volo, non tamen perdendo meipsum? Cave ne fallas teipsum. Cave ne passionum et vitiorum tuorum satisfactionem occultes sub specie pietatis. . . .

2. *Quaenam cautelae sint adhibendae?*

Praecipue consistunt in vitandis illis personis, quae tibi periculosae sunt.

Periculosae fidei tuae. *Et hos devita* (2 Tim 5, 5).

Periculosae castitati tuae. Et hic est scopulus periculosissimus ministerii nostri. Sacerdos castitatem sacerdotalem habere debet,

Digitized by Google

ait S. Hieronymus, adeo ut non tantum corpus habeat prorsus immaculatum, sed etiam oculi eius conservent omnem innocentiam requisitam ut spectatores esse possint eorum, quae fiunt in Sancto Sanctorum; et ut eius mens, hisce miraculis intendens, libera sit vel ab imaginibus involuntariis, quae eorum serenitatem turbare possent. Sicut Christus, christi et sancti Dei sumus, quos unicus aspectus vel unicum desiderium nimium humanum, maculat et profanat. O si sacrum character tantae dignitatis abstulisset naturae corruptionem! Sed heu! in nobismetipsis idem germen corruptionis portamus ac ceteri homines. Unicum remedium praebet fides, pietas, custodia sensuum et vigilantia. Statim ubi haec negligimus, perimus. Omnia ergo periculis plena sunt apud sexum femineum.

Nec te securum esse putes. Haec enim ficta securitas insidiae diabolicae sunt. Quodsi Paulus,

Digitized by Google

raptus ad tertium caelum, adhuc stimulum carnis a se tolli ter deprecatur, si sanctis Anachoretis inter rigidissimas poenitentias in medio deserti adeo pugnandum erat adversus imagines periculosas (*S. Hieron.*, Epist.), tu, cuius mores nihil huius severitatis habent, securus fores in medio mundi!

Tandem evitandum est, quidquid, utut honestum est, fieri nequit sine aliquo scandalo.

Denique non plus eas quam necesse est. Et ubique decorem clericalem serva.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio duodequadragesima.

De Sacramento Poenitentiae.

(Ex Card. *Bona*, De Sacrificio Missae c. 4, § 2.)

Formidabilis est et non sine horrore audienda Apostoli comminatio dicentis: *Quicumque manducaverit panem hunc vel biberit*

Digitized by Google

calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini (1 Cor 11, 27). Quare celebrare volenti revocandum est in memoriam eiusdem praeceptum: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini* (1 Cor 11, 28 sq). Et quidem probatio omnino necessaria est, ut nullus sibi conscius mortiferae labis, ad sacrificandum praesumat accedere non praemissa sacramentali confessione, quantumvis sibi contritus videatur; alioquin panem vitae in mortem et condemnationem accipiet. Ut vero ex hoc divino convivio, quod sanctis animabus inexplicabiles praebet delicias, mens abundantius reficiatur, non solum a mortalibus, sed etiam a venialibus culpis, et ab omni terreno affectu eam expurgare oportet, et puram ac vacuam Deo exhibere gratiae suae donis im-

Digitized by Google

plendam et exornandam. Hac de causa boni sacerdotes, quos te imitari par est, vel quotidie, vel alternis diebus, vel bis saltem in hebdomada [1] animo vere contrito ad confessionem solent accedere, omnesque malorum radices evellere conantur, atque omnem vel levissimam maculam abstergere....

Confessioni autem duplex praeparatio praemittenda est, remota et proxima. *Remota* in hoc consistit, ut per vigilem cordis custodiam, profundam tui cognitionem et exactam discussionem, eam comparare studeas conscientiae teneritudinem et puritatem, quae commissos defectus statim sentiat et fideliter memoriae suggerat. Deinde assuesces actum contritionis frequentare, et quotidianum examen sic instituere, ac si statim confiteri deberes. *Proxima* ali-

---

[1] Confessio «quotidie vel alternis diebus» facta, aegre ut regula statui potest. Confessionem hebdomadariam sufficere, Synodi et Auctores concedunt.

Digitized by Google

quot actus complectitur: nam primo gratiam efficacem petere debes omnia peccata agnoscendi, detestandi et emendandi; tum in memoriam revocanda quaecumque ab ultima confessione commissa sunt; demum de singulis actum doloris elicies cum firmo constantique proposito ab his deinceps abstinendi et satisfaciendi. Quodsi peccata leviora sint, quia omnia corrigere propter humanam fragilitatem difficile est, propones saltem et conaberis, quoties ad confessionem accedis, aliquod ex his deponere, in quod frequentius labi soles.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio undequadragesima.

De excellentia sacrificii Missae.

(Ex Card. *Bona,* De sacrificio Missae c. 3, § 2.)

Cum sacrificium sit primarium religionis munus, plane decebat ut Christiana Religio, qua nulla

Digitized by Google

perfectior et sublimior esse potest, nobilissimum haberet sacrificium, cuius excellentia ex multis capitibus colligi potest.

Primo *ex eo quod* in illo *offertur*, qui est Christus Dominus, verus Deus et verus homo: et quia nihil excelsius illo est, ideo ratione ipsius actio ipsa sacrificandi omnes humanas actiones excedit, etiam actus Sanctorum in caelis Deum amantium. Cavendum ergo, ne nostra irreverentia et indevotione tam magnae rei oblationem dehonestemus. Et si Deus olim sacerdotibus praecepit: *Mundamini, qui fertis vasa Domini*, quanto maiori puritate nos enitere debemus, qui purissimum Christi corpus et pretiosissimum sanguinem Deo offerimus?

Secundo *ex persona, cui offertur*, qui est solus Deus. Nulli enim Sanctorum, nec ipsi Beatae Virgini offerri potest, sed ex ipsa intrinseca rei natura convenit soli Deo. . . .

Digitized by Google

Tertio *ex ipsa consecratione*, qua panis et vinum in corpus et sanguinem Christi transsubstantiantur, manentibus accidentibus sine subiecto. Est autem haec actio omnino supernaturalis, quae nullo modo pendere potest ab aliqua potentia creata tamquam a causa principali, quia solus Deus efficit transsubstantiationem.

Quarto *ex valore* ipsius sacrificii, qui est infinitus sicut merita et passio Christi, ac proinde aeque placet Deo, ac mors eius in cruce; licet effectus finitus sit.

Quinto *ex fine* propter quem, ceteris omnibus abolitis, institutum fuit, ut nimirum per ipsum Deo Creatori nostro cultum latriae tribuamus, nostraque servitutem et subiectionem humillime testificemur; ut dignas ei gratias perpetuo agamus pro universis beneficiis eius; ad auxilia divinae gratiae, eiusque protectionis, excitationis et directionis impetranda; ad obtinendam peccatorum ve-

Digitized by Google

niam; ad iram Dei placandam et imminentia flagella avertenda, ad succurrendum omnium vivorum et defunctorum necessitatibus, quae sunt paene infinitae.

Porro ex his clarissime constat, nullam posse maiorem in hac vita, aut praestabiliorem actionem a mortalibus exerceri, quam offerre Deo hoc sacrificium. . . . Quia vero Sacerdos hoc sacrificium peragit in persona Christi, ita se gerere debet, ne quid in ipso sit, quod Christi personam dedeceat: sicut legatus regis personam sustinens summopere cavet, ne quid indecorum et suo munere indignum committat.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio quadragesima.

De praeparatione ad Missam (Communionem).

(Ex Card. *Bona,* De sacrificio Missae c. 5, § 1.)

Pervulgatum apud sanctos Patres axioma est, quod talem se

Digitized by Google

animae exhibet Deus, qualem si illa praeparat Deo. Ideo Christus in Eucharistia aliis quidem est fructus vitae, panis angelorum, manna absconditum, paradisus deliciarum, ignis consumens et tertium caelum, in quo audiuntur arcana verba, quae non licet homini loqui. Aliis vero est panis insipidus, omni carens dulcedine et vitali operatione, et nauseat anima eorum super cibo isto: quia nimirum mors est malis, vita bonis; et sicut quisque erga Deum affectus est, talem Ipsum erga se experitur. Pauci sunt qui admirabiles huius sacri convivii in se sentiant effectus, quia pauci sunt qui se ad illos recipiendos rite disponant, qui serio cogitent se ad Sancta Sanctorum accedere, ad Altare Dei, ad Deum ipsum. Ideo multi infirmi sunt et imbecilles, et dormiunt multi. Mortem olim summo Sacerdoti minabatur Deus, si ausus fuisset introire in Sancta Sanctorum non radians

Digitized by Google

gemmis, non fulgens auro, omniumque virtutum varietate circumamictus. Quam ergo poenam merebitur Novae Legis Sacerdos, qui non ad Arcam typicam, sed ad Deum ipsum accedit, ut Filium eius, Dominum Iesum Christum, immolet, tangat, comedat, nisi id faciat ea sollicitudine, attentione et apparatu, qui dignus sit tali convivio, dignus Deo? Instante itaque celebratione, totis viribus curare debet, ut in ara cordis ignem divini amoris succendat, actusque eliciat diversarum virtutum, qui heroici sint, et tanto sacrificio eiusque termino et obiecto, quantum fieri poterit, convenientes.

Quia vero in hoc sacrificio non solum animus, sed etiam corpus occupatur, ipsum quoque oportet ab omni sorde incontaminatum custodire.

Propositum particulare pro praesenti die.

Digitized by Google

Meditatio quadragesima prima.

De gratiarum actione post Missam (Communionem).

(Ex Card. *Bona,* De sacrificio Missae c. 6, § 1.)

Quia finis bonorum operum debet esse gratiarum actio, ab altari post Sacrum discessurus, Canticum incipis trium puerorum, quo ad gratias pro tanto beneficio Deo agendas omnes creaturas invitas. Ipsum itaque recitabis, dum pergis in sacristiam, dum te sacris vestibus exuis, omni possibili devotione atque ardentissimo affectu Deum benedicendi et superexaltandi propter ipsius infinitam bonitatem. Quo absoluto in persona Ecclesiae, quae illo concludi Sacrificium praecepit, in locum te recipies ab omni strepitu et distractione remotum, in quo, clauso ostio cordis tui ceterisque cogitationibus exclusis, soli Deo vacabis, nec ab eo recedes, donec benedixerit tibi. Sunt quaedam orationes, variis affecti-

Digitized by Google

bus plenae, post Missam recitandae, quas sancti doctores Thomas et Bonaventura composuerunt. Has si devote et sedate recitaveris, ponderatis verbis et sensibus, non erunt inutiles et infructuosae. At si eas celeriter percurreris, ut nonnulli solent, statimque recesseris, nulla protracta cum Christo mora, vide et considera, quam plene tuae conscientiae satisfacias. Nullum certe pietatis sensum habere convincitur, qui non libenter cum Deo manet. Nec valent praetextus negotiorum vel studii, quibus se tepidi excusant: quod enim gravius et utilius negotium, quam de animae salute cum Deo tractare? Vel quid possunt docere libri, quod non Deus praesens melius doceat? . . .

At primo quidem diversarum virtutum elicies actus: fidei, confitendo Christum a te susceptum esse vere Deum et hominem, cuius divinitati et humanitati omnia conveniant, quae credit et docet Ec-

Digitized by Google

clesia; spei, sperando ab eo multa bona naturae, gratiae, gloriae; caritatis, elicito erga eum ferventissimo amoris affectu; . . . humilitatis, considerando quis venerit, et ad quem; . . . desiderii et zeli, optando, ut cessent peccata, impii convertantur, iusti multiplicentur et proficiant, et Deus ab omnibus glorificetur. . . .

His demum alia exercitia adiunges, vel quae in pio libello continentur, vel quae tibi devotio suggesserit; quibus peractis, singulari cura cor tuum et sensus custodire satages, tantam Dei dignationem crebro per diem in memoriam revocabis, piis affectibus et aspirationibus acceptam gratiam conservabis, atque in omnibus te ita geres, ut in Christum, quem suscepisti, omnino transformatus videaris, virtutum ipsius imitatione, morum gravitate et rerum omnium abdicatione.

Propositum particulare pro praesenti die.

Digitized by Google

SERIES IV.

De amore Iesu patientis, eucharistici, amorem Cordis manifestantis, et B. Mariae Virginis.

Meditatio quadragesima secunda.

De passione et morte Christi.

(Ex Card. *Bellarmino*, De gemitu columbae l. 2, c. 3.)

Amor Dei prae omnibus rebus nobis quaerendus est, tum quia Deus hoc requirit in primo et maximo suo mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (Mt 22, 37), tum quia caritas Dei est regina virtutum, qua praesente vivimus Deo, qua recedente morimur. Ipsa sola peccatum letale secum non patitur, ipsa gignit merita, ipsa cum Deo nos ita coniungit, ut unus spiritus simus cum Deo. Denique in ipsa perfectio vitae christianae posita est. Porro amor in hoc tempore potissimum accenditur ex consi-

Digitized by Google

deratione beneficiorum: summum autem beneficium Dei erga homines Christi passio est, dicente ipso Domino: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (Io 3, 16), et Apostolo attestante, qui ad Romanos scribens dicit: *Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est* (Rom 5, 8 sq).

1. Necesse est (autem), si quis velit thesaurum amoris Dei in agro passionis Dominicae reperire, ut attentissima consideratione quasi praesentem Dominum cernat. . . .

Fuit passio Christi longa, lata, sublimis et profunda. . . . Quid est in passione longitudo, nisi duratio? et latitudo, nisi varietas? et altitudo, nisi eminentia? et profundum, nisi puritas?

A. *Longitudo.* Christi mors longissima fuit. Non in sola cruci affixione posita fuit, sed coepit

Digitized by Google

in horto Gethsemani, et pervenit usque ad horam nonam sequentis diei. Sed neque his horis, novem nocturnis, et novem diurnis, tota consummata est; nam tota eius vita perpetua passio et crucis passio dici potuit. Siquidem ab ipsa conceptionis hora cognovit, sibi crucem esse paratam; eamque libentissime acceptavit pro honore Patris, et salute hominum; et semper eam ante oculos mentis sic habuit, ut vere dici possit toto vitae suae tempore in cruce pependisse. Hinc videlicet tam crebro de cruce sua vel de passionis calice loquebatur, ut apud Matth.: *Qui non accipit crucem suam* etc. (10, 38), et rursum: *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam et sequatur me* (16, 24), et iterum: *Potestis bibere calicem, quem Ego bibiturus sum?* (20, 22).

Propositum particulare pro praesenti die.

Digitized by Google

Meditatio quadragesima tertia.

De passione et morte Christi.

(Ex Card. *Bellarmino,* De gemitu columbae, sequentia.)

B. Etiam *latissima* fuit passio Salvatoris; siquidem non uno aut altero poenarum genere contenta, innumerabilia tormenta amplissimo sinu suo amplexa est. Nam ut omittamus vincula et colaphos et sputa et flagella et spinas et maledicta etc., attende solum, quam multas in una cruce cruces pertulerit. Prima fuit clavorum in manibus ac pedibus fixorum dolor acutissimus. Deinde secuta est elevatio crucis in sublime, ex qua factum est, ut ex pondere totius corporis vulnera dilatata flumina sacri cruoris effunderent. Accessit tertio nuditas. Quarto numeranda venit incredibilis defatigatio. Quinto sitis sine dubio ardentissima Dominum vexavit, tum ex longa fatigatione, tum ex copiosissima sanguinis effusione. Sexta poena

Digitized by Google

fuit carentia usus manuum et pedum, ob quam cogebatur in ligno crucis immotus permanere. Septima poena numerari potest conspectus Virginis Matris et discipuli, quem diligebat; quorum dolor et lacrimae dolorem non parvum Domino afferebant. Octava poena nascebatur ex verbis contumeliosis et blasphemis, quae in ipsum iacebant. Postrema fuit mors amara, quam, ut ultimum terribilium, gustare voluit Dominus noster, ut eam in corpore suo occideret et nos omnes ab eius imperio liberaret.

C. *Altitudo.* Illa potest passio dici alta, quae supereminet passionibus aliis, ita ut sit maior, intensior, acerbior, amarior ceteris. (Causa fuit inter alia) perfectissima sanitas et temperamentum corporis eius: quippe quod a Spiritu Sancto compositum et temperatum fuerat. Accessit, quod amator hominum Christus, ut copiosa esset redemptio, usque ad

Digitized by Google

exitum animae de corpore retinuit tantum robur, ut ipse etiam dolor integre sentiretur a principio passionis usque ad finem.

D. *Profunditas* in eo reposita est, quod passio Christi fuit tota ac pura passio, non admixta consolationibus ullis: *Discipuli omnes, relicto eo, fugerunt* (Mt 26, 56). *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (Ib. 27, 46.)

2. Consideratio passionis, ut effectus est scelerum nostrorum.

Quid Filium Dei flagellavit, cruci affixit, occidit? . . . Peccata mea, peccata tua, peccata Adami et omnium filiorum eius causa fuerunt passionis et mortis Filii Dei. *Propter scelus populi mei percussi eum* (Is 53, 8).

Quid ergo retribues, anima mea, Domino, pro omnibus quae retribuit tibi? Offeram cor contritum et humiliatum, offeram lacrimas poenitentiae, offeram denique promptam voluntatem ad omne quod a me petere dignatus fuerit. Et

Digitized by Google

quid putas, anima, Dominum petiturum, nisi salutem tuam? Hoc enim petiit, cum in cruce dixit: Sitio.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio quadragesima quarta.

De frequenti Communione.

(Decretum S. Congr. Concilii 20 Dec. 1905.)

(I. Rationes quibus suadetur frequens Communio.)

1. Sacra Tridentina Synodus, perspectas habens ineffabiles, quae Christifidelibus obveniunt gratiarum divitias, sanctissimam Eucharistiam sumentibus, Sess. 22, c. 6 ait: «Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent.» Quae verba satis aperte produnt *Ecclesiae desiderium,* ut omnes Christifideles illo caelesti

Digitized by Google

convivio quotidie reficiantur et pleniores ex eo sanctificationis hauriant effectus.

2. Huiusmodi vero vota cum illo cohaerent *desiderio,* quo *Christus Dominus* incensus hoc divinum Sacramentum instituit. Ipse enim nec semel nec obscure necessitatem innuit suae carnis crebro manducandae suique sanguinis bibendi, praesertim his verbis: *Hic est panis de caelo descendens; non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt: qui manducat hunc panem vivet in aeternum* (Io 6, 59). Ex qua comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a discipulis intelligi poterat, quemadmodum pane corpus quotidie nutritur, et manna in deserto Hebraei quotidie refecti sunt, ita animam christianam caelesti pane vesci posse quotidie ac recreari. Insuper quod in oratione Dominica exposci iubet *panem nostrum quotidianum,* per id Sancti Ecclesiae Patres fere unanimes docent, non

Digitized by Google

tam materialem panem, corporis escam, quam panem eucharisticum quotidie sumendum intelligi debere.

3. *(Ex natura huius Sacramenti:)* Desiderium vero Iesu Christi et Ecclesiae, ut omnes Christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est, ut Christifideles, per Sacramentum Deo coniuncti, robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas, quae quotidie occurrunt, abluendas, et ad graviora peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, praecavenda: non autem praecipue, ut Domini honori ac venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut praemium sit suarum virtutum (S. Aug., Serm. 57 in Matth.; De Or. Dom., n. 7). Unde Sacrum Tridentinum Concilium Eucharistiam vocat *antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur* (Sess. 13, c. 2).

4. *(Praxis praeteritorum saeculorum:)* Hanc Dei voluntatem prio-

Digitized by Google

res Christifideles probe intelligentes, quotidie ad hanc vitae ac fortitudinis mensam accurrebant. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis* (Act. 2, 42). Quod saeculis posterioribus etiam factum esse, non sine magno perfectionis ac sanctitatis emolumento, Sancti Patres atque ecclesiastici Scriptores tradiderunt.

(II. Ipsae decisiones.)

1. Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad sacram mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2. Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3. Etsi quam maxime expediat, ut frequenti et quotidiana Communione utentes, venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus, ut culpis mortalibus vacent,

Digitized by Google

cum proposito se numquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito, fieri non potest, quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

4. . . . Sedula praeparatio . . . et congrua gratiarum actio. . . .

5. Ut frequens et quotidiana Communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet, ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

6. . . . *Parochi, Confessarii et Concionatores christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.*

7. Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusve generis promoveatur. . . . *Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio;* item in aliis christianis omne genus ephebeis. . . .

Pius X per decr. S. Congr. de Sacramentis 7 Aug. 1910 haec statuit:

1. Aetas discretionis ad Confessionem et Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, i. e. circa septimum annum, sive supra sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis.

Digitized by Google

2. Non est necessaria ad hanc plena doctrinae christianae cognitio. Puer postea integrum catechismum addiscat gradatim.

3. Ad primam Communionem fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, et eucharisticum panem a communi distinguat.

4. Obligatio praecepti recidit in parentes, confessarium, institutores, parochum. Ad patrem et ad confessarium pertinet admittere puerum ad primam Communionem.

5. Saltem semel in anno parochi habeant Communionem generalem puerorum qui prima vice tunc accedunt vel iam accesserant, cum aliquot diebus praeparationis.

6. Omni studio curandum est, ut pueri saepius immo quotidie accedant.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio quadragesima quinta.

Promissiones a Iesu Christo factae cultoribus Cordis sui amabilissimi.

(Desumptae ex *Nix* S. J.,
Cultus SS. Cordis Iesu c. 5, a. 2.)

1. Proteget et adiuvabit omnes *familias,* in quacumque calamitate erunt positae, dummodo magna fiducia divinum Cor adierint.

Digitized by Google

2. (Pro iis, qui in Festo SS. Cordis ad sacram mensam accedunt et iniurias ipsi illatas expiatione resarciunt.) Et spondeo quidem eos omnes, qui hoc honore Cor meum affecerint et ab aliis afficiendum curaverint, ipsius divini Cordis favore caelestium gratiarum copia cumulatum iri.

3. Nemo eorum, qui illi devote erunt et vere consecrati, umquam peribit; SS. Cor iis erit refugium certum contra omnes inimicorum insidias, praesertim in hora mortis.

4. Infinita misericordia Cordis mei motus polliceor amore eius omnipotenti omnibus, qui prima quaque novem deinceps mensium feria sexta ad sacram Communionem accesserint, concessum iri gratiam finalis poenitentiae, nec eos morituros esse nisi reconciliatos cum hoc divino Corde ac receptis sacramentis morientium, quia divinum meum Cor tutum iis perfugium erit e vita discedentibus.

Digitized by Google

5. Pollicitus (est) etiam eos omnes, qui talem *imaginem (SS. Cordis)* singulari pietate colerent, maximis gratiis ex huius divinissimi Cordis plenitudine cumulatum iri, et ubicumque ea imago honoris sui et laudis causa exposita esset, eo omnis generis benedictiones divinitus affluxuras.

Christus, ut est fons omnium benedictionum, large eas effundet in omnem locum, ubicumque collocata erit huius amabilis Cordis imago, ut ibi ametur et honoretur; familias discordes reconciliabit, proteget atque iuvabit omnes, in quacumque calamitate erunt positae, dummodo magna fiducia divinum Cor adierint.

6. Magna praemia iis omnibus promis(er)it, qui prompte libenterque, omnibus viribus, pro luminis et subsidii accepti ratione se huic rei *(scil. propagando cultui SS. Cordis)* impendissent.

7. *Homines saeculares* ipsi quoque hac amabili devotione omnia

Digitized by Google

statui suo necessaria auxilia recipient: pacem familiarum, levamentum laborum, subsidia caelestia in omnibus negotiis gerendis, solatium in rebus adversis tolerandis. Neque usquam melius, quam in hoc sacro Corde refugium invenient, tam in omni vita, quam in exitu eius. O quam dulce erit mori illi, qui perpetuo atque constanter honoraverit Cor eius, qui nos iudicaturus est!

8. *Homines religiosi* tam praesens in hac devotione invenient auxilium, ut non indigeant alio adiumento ad renovandum primum suum fervorem, ad restituendas in accuratissimam legum suarum observationem eas communitates, in quibus antea omnino fuerit dilapsa, et ad eas, in quibus iam antea optime floruerit, promovendas in culmen omnis perfectionis.

9. Christus ardentis sui amoris suavem unctionem effundet in omnes *communitates*, quae honore

Digitized by Google

divinum hoc Cor afficient eiusque propriae tutelae se commendabunt; avertet ab iis divinae iustitiae iram, ut recipi in gratiam possint, si quando eam amiserint.

10. Divinus meus Salvator edocuit me eos, *qui saluti animarum iuvandae operam darent*, artem esse adepturos vincendi ingenia obstinatissima et admirabiles laborum suorum fructus esse percepturos, si ipsi tenera erga Cor suum divinum pietate sint imbuti.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio quadragesima sexta.

De ipso cultu SS. Cordis Iesu.

(Ex *Nix* S. J., Cultus SS. Cordis Iesu, c. 2, a. 1 et 2.)

Is cultus, qui Christo Domino, i. e. Verbo incarnato (naturam habenti divinam et humanam) debetur, est *latriae*, qui Christi *naturae etiam humanae* exhibendus est propter huius cum Verbo divino hypo-

Digitized by Google

staticam unionem [1]. «Timeo prunam tangere», inquit S. Ioannes Damascenus[2] «propter ignem ligno unitam; adoro Christi naturas ambas propter unitam carni deitatem.» Generale (commune) igitur *obiectum materiale* omnis cultus Christi Domini (etiam cultus SS. Cordis) est *persona Verbi incarnati* sive totus Christus; *generale vero obiectum formale* sive ultima ratio obiectiva, qua omnis nititur cultus latriae (etiam cultus SS. Cordis) est *divina Verbi excellentia* sive infinita Verbi incarnati dignitas, quae cum tota eius humana natura singulisque huius partibus communicatur unione hypostatica.

Obiectum vero manifestationis vel *obiectum speciale materiale* dici possunt et debent:

a) ipsa *humana natura Christi,* quippe in qua et per quam eximio et plane incomprehensibili modo

---

[1] *S. Thom.*, S. theol. 3, q. 25, a. 2; *Suar.*, De Incarn. disp. 53.

[2] De fid. orth. l. 3, c. 8.

Digitized by Google

excellentia divina manifestetur, i. e. Verbum se adorandum et colendum nobis exhibeat;

b) *mysteria vitae Christi Domini; . . .*

c) *partes singulae SS. Humanitatis. . . .*

Hae partes naturae humanae, cum speciale obiectum materiale sint cultus, *specialem* Christi Domini *cultum* efficiunt. Eiusmodi cultus aliquis specialis est cultus SS. Cordis Iesu.

Speciale seu partiale obiectum materiale, sive id, in quo proxime cultus Christo Domino tribuitur, est verum Cor Christi Domini symbolice demonstrans infinitum eius amorem, humanum et divinum.

Obiectum hoc *materiale* duo in se continet, distincta quidem, sed maxime coniuncta, *sensibile* sive spectabile alterum: Cor ipsum verum Salvatoris; alterum *spirituale* sive intelligibile: caritatem Christi. Est igitur obiectum cultus SS. Cordis unum ex duobus

Digitized by Google

conflatum dicique potest vel *Cor Christi caritatem demonstrans* vel *Christi caritas veri Cordis symbolo demonstrata.* . . .

Licet Cor Christi verum per se considerari possit ut symbolum caritatis tam erga Deum quam erga homines, tamen in hoc cultu *proprie* consideratur ut *symbolum,* et quidem *naturale, caritatis erga nos homines,* ut ex institutione huius cultus constat. . . .

Proxime caritas creata, i. e. caritas naturae humanae Christi est obiectum huius cultus; cum hac enim Cor cognationem et proportionem habet suapte natura; *remote vero* etiam *caritas increata,* i. e. caritas naturae divinae, adumbratur, quia et una est persona Servatoris, et, in Christo quidem potissimum, increatae caritatis imitatio et derivatio quaedam est caritas creata. . . .

Caritas Servatoris nostri singulari modo colitur 1. (quia) illa

Digitized by Google

caritas praestat summa perfectione; 2. omnia beneficia huic caritati debemus; 3. recolenda caritate Christi Domini omnia eius mysteria aptissime recolimus. . . .

Cor verum Redemptoris cum caritate colitur 1. (propter) auctoritatem Ecclesiae; 2. (quia) hoc convenit proprietati naturae humanae (ut scil. per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia ducatur) et illi rationi, qua Deus nobiscum agere solet (scil. unicuique rei providendi secundum modum suae conditionis); 3. (quia) intima inter cor et caritatem aliasque vitae internae affectiones ratio intercedit, ita ut cor sit harum omnium, sed imprimis caritatis, *symbolum naturale et organum manifestans*; . . . 4. (propter) vulnus etiam SS. Cordis. . . .

Propositum particulare pro praesenti die.

Digitized by Google

Meditatio quadragesima septima.

De assumptione Beatae Mariae Virginis.

(Ex *S. Bonaventura,* Sermones in hunc diem, sermo 3.)

Surrexit rex in occursum matris adoravitque eam, positusque est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius (3 Rg 2, 19).

Eleganter verba proposita trahi possunt ad solemnitatem praesentem, quam ad matris Salomonis, Mariae, gloriam celebramus.

Quattuor honores describuntur in verbis propositis, quibus hodie Mater Dei, Maria, in sua assumptione fuit solemniter honorata.

In principio supponamus, quod quidquid laudis dicitur de Beata Maria, non hyperbolice dicitur, sed defective. . . .

1. Primus honor est *obviatio summi Regis.* Omnino enim credendum est et nullatenus dubitandum, quin hodie solemni processione obviatum sit Virgini ascendenti non solum a Rege, verum

Digitized by Google

etiam a tota curia caelesti. Provolant Angeli videre dominam suam; desiliunt Patriarchae videre filiam suam; occurrunt Apostoli videre magistram suam; accelerant Martyres videre exhortatricem suam. . . . Verum nihil est in comparatione superexcellentis honoris, quem confert ei Creator. Occurrit enim tota Trinitas, etsi non motu locali, tamen influentia favorabili, laetitia principali et gloria deiformi. . . . Cognovit Beatam Mariam Pater domum suae maiestatis (Is 60, 1); recognovit Filius principium suae humanitatis sive humilitatis; recognovit Spiritus Sanctus sacrarium suae bonitatis, in quo plenissime et absque mensura charismata condidit gratiarum, in quo scil. horreo publico et universali congregavit frumenta donorum, ut tempore necessitatis ad pauperes pervenirent. . . . Sed de Christo, Filio eius, proprie intelligitur quod dicitur: Surrexit rex in occursum matris. . . .

Digitized by Google

Ideo, carissimi, quamvis severe nos tractet Deus et quasi ad alienos durius loquatur, veniet tempus, quando totus blandis amicis suis appareat, quando in occursum veniat, in brachiis colligat et transferat in excelso. . . . O quam dissimilis occursus fit animae peccatrici! *Occurrunt daemonia* (Is 34, 14).

2. Secundus honor fuit in illa receptione plenitudo dulcedinis et reverentiae, pro qua dicitur: *Et adoravit eam.* Quid facis, Domine? Tu verus Dominus ab omnibus adorandus mulierem adoras? Adoro[1], inquit, quoniam eam mihi duo faciunt adorandam, scil. ratio maternitatis et meritum humilitatis. Numquid, si filius matrem adorat, contra iura facit? Non, quia lex aeterna ordinem naturalem observari iubet. . . . Fuit Maria Mater singularis sufficientiae,

---

[1] Hoc loco vox «adorandi» sensum habet multo latiorem quam nos hodie intelligimus communiter: nam quamcumque venerationem significare potest.

Digitized by Google

quia sine virilis seminis mixtione ad hoc opus suffecit, Spiritu Sancto virtutem conceptivam ei mirabiliter tribuente; singularis magnificentiae, quia nulla mater Deum genuit praeter ipsam et post partum virgo permansit; singularis diligentiae et curae, quia nulla mater tam dilexit et sollicita fuit. Ulterius debebatur hic honor merito humilitatis, de qua ipse Dominus dicit: *Qui se humiliat, exaltabitur* (Lc 14, 11). . . . Maria in humilitate se profundat, se inanit, ut de se nihil sentiat praeter nihil; et Deus eam magnificat super Sanctos, sed ultimato honore corporaliter eam adorat.

Ergo, frater, non sentias de te magna, non mediocra, non etiam minima. Refunde in Deum quidquid habes boni, et te ipsum in nihilum redigas; et tunc divinam manum exspecta, cuius proprium est de nihilo aliquid operari.

Propositum particulare pro praesenti die.

Digitized by Google

Meditatio duodequinquagesima.

De assumptione Beatae Mariae Virginis.

(Ex *S. Bonaventura,* Sermones, sequentia.)

3. *Positus est thronus matri eius.* Hic est tertius honor dignissimae inthronizationis. . . . Voluit eam esse Reginam, et merito. Nam nos legimus, quod Christus promittit regnum caelorum castitati: *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum* (Mt 19, 12); paupertati: *Beati pauperes spiritu* (Mt 5, 1); humilitati: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli* etc. (Mt 18, 3.) Quid Maria castius, quid Maria pauperius, quid Maria humilius? Istis ergo tribus virtutibus, quae in ipsa eminentius floruerunt, triplex respondet mirabilis thronus. Nam castitati respondet thronus de ebore, quem rex Salomon varie exornavit, ut legitur 3 Rg 10, 18; paupertati thronus

Digitized by Google

sapphirinus, qui caelestis coloris est: *Quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni* (Ez 1, 26); humilitati vero, quae se abscondit et obumbrat, respondet thronus solaris: *Thronus eius sicut sol* (Ps 88, 38). In his omnibus durantibus in perpetuum coronata triumphat.

Tu vero, anima peccatoris, quo throno sedebis? Tali, quem tibi per opera mala facis. Doceo te tamen caeleste solium fabricare. Quaeris qualiter? Christi sectando vestigia; unde: *Vos, qui secuti estis me, sedebitis et vos super sedes.* Sequere ergo Christum, et solium fabricasti. Quaeris in quo? In poenitentia.

4. *Et sedit ad dexteram eius.* Hic est quartus honor: immediata locatio circa Regem. Et sunt ad hoc tres rationes: prima est immediatio amoris cordis ad cor. Sicut enim nihil fuit medium inter cor Virginis et Deum, ita nihil medium inter thronum et thro-

Digitized by Google

num. Secunda ratio est frequenter interpellandi pro peccatoribus. Habentem enim interpellatricis et reconciliatricis officium non oportet longe sedere, sed prope assistere.... Habes exemplum Esther 7, 2: *Quae est petitio tua, Esther?* et statim ad verbum eius crudelis sententia revocatur. . . . Tertia ratio est, quia patriarchatus, quem habuisset Adam in numero virorum et Eva in numero feminarum, ut sederet ad dexteram Dei, id est in potioribus bonis, translatus est ad Christum et Mariam, Matrem eius, quia, sicut illi fuerunt peremptores humani generis, ita isti fuerunt reparatores. Unde legitur Esther 1, 19: *Detur regnum illius alteri, quae melior sit.* Impetret ipsa nobis veniam peccatorum, quae cum Filio regnat in saecula saeculorum. Amen.

Propositum particulare pro praesenti die.

Digitized by Google

Meditatio undequinquagesima.

De nativitate Beatae Mariae Virginis.

(Ex *S. Thoma Aquinate,* Sermones n. 5.)

Lux orta est iusto, et rectis corde laetitia (Ps 96, 12). Legimus quod nativitas Beatae Virginis multis figuris in Vetere Testamento est praemonstrata: et inter alias figuras tribus figuris est specialiter designata: scil. in ascensu aurorae, in ortu stellae et in egressione virgae de radice.

In ascensu aurorae designatur ipsius nativitas quantum ad eius sanctificationem; in ortu stellae praefiguratur quantum ad eius virginitatis integritatem; in egressu virgae quantum ad elevationem et magnam contemplationem.

1. Habetur in Genesi (32, 26), quod dixit angelus ad Iacob: *Dimitte me: iam ascendit aurora.* (Intellegit) angelus ascensum aurorae in nativitate Beatae Virginis gloriosae.

Digitized by Google

Aurora finis est noctis praecedentis et initium diei sequentis. Similiter in ortu Beatae Mariae Virginis nox culpae est terminata et dies gratiae est inchoatus: unde Sedulius: «Dedit vitiis finem et moribus disciplinam.»

2. *Orietur stella ex Iacob* (Nm 24, 17). Comparatur ortus eius (Mariae) stellae quantum ad virginitatis integritatem: quia sicut stella radium emittit sine sui corruptione et sine luminis diminutione et amissione, sic Beata Virgo Filium suum genuit sine virginitatis amissione.

3. *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet* (Is 11, 1). Virga erecta est versus caelum: in quo signatur contemplatio Beatae Virginis, quae superavit ista terrena et habuit cor elevatum ad superna.

Istas tres figuras David sub uno versu comprehendit dicens: «Lux orta est iusto» etc. Lux terminat noctem et inchoat diem, emittit

Digitized by Google

radium nec incurrit corruptionem, et omissis inferioribus naturalibus tendit ad superiora.

Propositum particulare pro praesenti die.

Meditatio quinquagesima.

De nativitate Beatae Mariae Virginis.

(Ex *S. Thoma Aquinate,* Sermones sequentia.)

Addamus rationes, cur Beata Virgo lux sit appellata:

1. Est lux origo gaudiorum. De gaudio ortus Mariae dicitur: «Lux iustorum, i. e. Beata Virgo laetificat» (Prv 13, 9).

2. Est lux via et dux itinerantium. Similiter Beata Virgo directrix est in via ista.

3. Lux est expulsiva tenebrarum. Similiter ad potentiam Virginis gloriosae exstirpantur vitia. In aurora fugantur tenebrae et introducitur lux. Similiter Beata Virgo fugat tenebras peccati, et

Digitized by Google

introducit lucem gratiae. Etiam dicitur aurora, quasi hora rorans, quia in eius ortu melliflui facti sunt caeli. Item dicitur aurora, quasi aurea aura, a pretiositate.

4. Est lux radiorum suorum diffusiva et communicativa. Similiter Beata Virgo radios suae gratiae omnibus diffundit et communicat. Unde Bernardus: «Beata Virgo omnibus sinum suae misericordiae aperit, et omnes de plenitudine eius accipiunt: aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam: porro Filius Dei carnis substantiam; ut nullus sit, qui se abscondat a calore eius» (Sermo de 12 Stellis).

5. Est lux mater gratuita colorum. Sic Beata Virgo mater est virtutum. Unde Bernardus: «Si quid in nobis virtutis», inquit, «si quid salutis et gratiae, totum ab illa novimus redundare, quae deliciis affluebat» (Hom. 2 super Missus est, versus finem).

Digitized by Google

6. Est lux splendidissima creaturarum. Similiter Beata Virgo. Unde in libro Sapientiae (7, 29) dicitur: *Speciosior est sole.*

7. Est lux delectatio et consolatio oculorum. Similiter Beata Virgo est consolatio hominum. De ipsa dicitur Esther (2, 15), quod *erat enim formosa valde et incredibili pulchritudine, et oculis omnium gratiosa et amabilis videbatur.* Et Prv 11, 16 dicitur de ipsa: *Mulier gratiosa inveniet gloriam,* scil. aeternam, ad quam nos perducat, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit in saecula saeculorum. Amen.

Propositum particulare pro praesenti die.

SERIES V.

Meditationes de Festis.

Meditatio quinquagesima prima.

Circumcisio (Initium novi anni): *De usu temporis.* «Quando illa extrema hora venerit, multum

Digitized by Google

aliter sentire incipies de tota vita tua praeterita. . . . (Tunc) unum diem seu horam pro emendatione desiderabis, et nescio an impetrabis» (Imit. Chr. l. 1, c. 23). Cogita, te moribundum iacere. Meditare verba Commendationis Animae (p. 272 sqq) tunc recitandas a sacerdote, te cum morte luctante.

Meditatio quinquagesima secunda.

Epiphania: *De vocatione ad fidem.* «Agnoscamus in Magis vocationis nostrae fideique primitias» (S. Leo, Sermo 2 de Epiph.). Meditare promissa, quae in Baptismo tuo per patrinos emisisti, cum Deus tibi fidem infunderet (p. 242 sqq). Quomodo illa promissa imples? Legisne libros vel diaria fidei tuae periculosa? Quid praesertim emendandum?

Meditatio quinquagesima tertia.

SS. Nominis Iesu: Lege Iubilum S. Bernardi (p. 155). Propositum:

Digitized by Google

In tentationibus rebusque arduis saepius invoca ss. nomina Iesu et Mariae. Cf. p. 137, notam 3.

Quatuor Tempora et dies anniversarius ordinationum: Meditationes *De ordinibus* (p. 398 sqq).

Meditatio quinquagesima quarta.

Purificatio B. M. V.: Meditare continuam, arduam et simplicem obedientiam et humilitatem Iesu et Mariae, qui lege non tenebantur. Quomodo tu obedis? Quid corrigendum? (*Franciscus Cabrini* S. J., Sabbatum, Consideratio 21.)

Meditatio quinquagesima quinta.

Annuntiatio B. M. V.: Meditare B. M. V. fidem (*Beata quae credidisti* [Lc 1, 45]), castitatem (*Quomodo fiet istud . . .?* [ibid. vs. 34.]) Virginitatem praeposuit dignitati Matris Dei), obedientiam *(Fiat mihi secundum verbum tuum* [ibid. vs. 38]), hu-

Digitized by Google

militatem (Mater Dei electa, dicit: *Ecce ancilla Domini* [ibid.]). Quomodo tu has virtutes imitari studes? Quaenam B. Virgini offeres proposita? *Exemplum esto fidelium in fide, in castitate* (1 Tim 3, 12). *Servum Dei oportet esse docibilem . . . cum modestia* (2 Tim 2, 24 sq).

Meditatio quinquagesima sexta.

Septem Dolorum B. M. V: Meditationes *Viae Crucis* Stat. 4, 13, 14 (p. 217 et 227).

Hebdomada Sancta: Meditationes *De Passione et Morte Christi* (p. 437 sqq). *Lege orationem* 3, p. 231.

Coena Domini: Meditatio *De frequenti Communione* (p. 443).

Parasceve: Meditationes Stat. 10 ad 14 *Viae Crucis* (p. 223 sqq).

Sabb. Sanctum: Meditationes Stat. 13 et 14 *Viae Crucis* (p. 227 sqq).

Digitized by Google

Meditatio quinquagesima septima.

Dom. Paschalis: Sequentia *Zima vetus expurgetur*, ut infra. Deinde lege orationem 4, p. 231.

De Resurrectione Domini [1].

Zima vetus expurgetur:
Ut sincere celebretur
Nova resurrectio.
Haec est dies nostrae spei.
Huius mira vis diei:
Legis testimonio.

Haec Aegyptum spoliavit:
Et Hebraeos liberavit
De fornace ferrea,
His in arcto constitutis:
Opus erat servitutis
Lutum, later, palea.

Iam divinae laus virtutis:
Iam triumphi, iam salutis
Vox erumpat libera.
Haec est dies quam fecit Dominus:
Dies nostri doloris terminus,
Dies salutifera.

Lex est umbra futurorum,
Christus finis promissorum:
Qui consummat omnia.

---

[1] Auctor Adamus a S. Victore. Cf. notam p. 544.

Digitized by Google

Christi sanguis igneam
Hebetavit romphaeam:
Amota custodia [1].

Puer nostri forma risus:
Pro quo vervex est occisus,
Vitae gignit gaudium [2].
Ioseph exit de cisterna:
Christus redit ad superna
Post mortis supplicium.

Hic dracones Pharaonis [3]
Draco vorat: a draconis
Immunis malitia.
Quos ignitus vulnerat:
Hos serpentis liberat
Aenei praesentia.

Anguem forat in maxilla:
Christus hamus et armilla [4].
In cavernam reguli
Manum mittit ablactatus [5]:
Et sic fugit exturbatus
Vetus hospes saeculi.

Irrisores Helisaei
Dum conscendit domum Dei:
Zelum calvi sentiunt.
David arreptitius [6],
Hircus emissarius [7],
Et passer effugiunt [8].

---

[1] Gn 3. [2] Gn 21 et 22.
[3] Ex 7. [4] Iob 40. [5] 2 Is 11.
[6] 1 Reg 21. [7] Lv 16.
[8] Ibid. 14.

Digitized by Google

In maxilla mille sternit:
Et de tribu sua spernit
Samson matrimonium.
Samson Gazae seras pandit:
Et asportans portas scandit
Montis supercilium.

Sic de Iuda leo fortis:
Fractis portis dirae mortis
Die surgit tertia.
Rugiente voce patris [1]:
Ad supernae sinum matris [2]
Tot revexit spolia.

Cetus Ionam fugitivum
Veri Ionae signativum,
Post tres dies reddit vivum
De ventris angustia.
Botrus Cypri reflorescit [3]:
Dilatatur et excrescit.
Synagogae flos marcessit:
Et floret ecclesia.

Mors et vita conflixere:
Resurrexit Christus vere.
Et cum Christo surrexere
Multi testes gloriae.
Mane novum, mane laetum
Vespertinum tergat fletum.
Quia vita vicit lethum
Tempus est laetitiae.

---

[1] Dei Patris.
[2] Ecclesia regnans in caelis.
[3] Cant. 1.

Digitized by Google

Iesu victor, Iesu vita:
Iesu vitae via trita,
Cuius morte mors sopita:
Ad paschalem nos invita
Mensam cum fiducia,
Vive panis, vivax unda,
Vera vitis et foecunda:
Tu nos pasce, tu nos munda,
Ut a morte nos secunda
Tua salvet gratia. Amen.

Ascensio Domini: Meditatio 4 *De caelo* (p. 351).

Meditatio quinquagesima octava.

Dom. Pentecostes: Sequentia *Lux iocunda,* ut infra. Deinde lege orationem 5, p. 232.

De Sancto Spiritu [1].

Lux iocunda, lux insignis:
Qua de throno missus ignis
In Christi discipulos.
Corda replet, linguas ditat:
Ad concordes nos invitat
Linguae, cordis modulos.

Christus misit quod promisit
Pignus sponsae: quam revisit
Die quinquagesima.

[1] Auctor Adamus a S. Victore.

Digitized by Google

Post dulcorem melleum:
Petra fudit oleum,
Petra iam firmissima.

In tabellis saxeis,
Non in linguis igneis:
Lex de monte populo;
Paucis cordis novitas
Et linguarum unitas:
Datur in coenaculo.

O quam felix, quam festiva
Dies, in qua primitiva
Fundatur Ecclesia.
Vivae sunt primitiae
Nascentis Ecclesiae:
Tria primum millia.

Panes legis primitivi:
Sub una sunt adoptivi:
Fide duo populi.
Se duobus interiecit:
Sicque duos unum fecit
Lapis, caput anguli.

Utres novi, non vetusti:
Sunt capaces novi musti.
Vasa parat vidua:
Liquorem dat Heliseus,
Nobis sacrum rorem Deus:
Si corda sint congrua.

Non hoc musto vel liquore,
Non hoc sumus digni rore:
Si discordes moribus.

Digitized by Google

In obscuris vel divisis:
Non potest haec paraclisis
Habitare cordibus.

Consolator alme veni:
Linguas rege, corda leni.
Nihil fellis aut veneni:
Sub tua praesentia.
Nil iocundum, nil amoenum,
Nil salubre, nil serenum:
Nihil dulce, nihil plenum,
Nisi tua gratia.

Tu lumen es et unguentum:
Tu caeleste condimentum,
Aquae ditans elementum
Virtute mysterii.
Nova facti creatura:
Te laudamus mente pura,
Gratiae nunc: sed natura
Prius irae filii.

Tu qui dator es et donum,
Tu qui condis omne bonum:
Cor ad laudem redde pronum,
Nostrae linguae formans sonum
In tua praeconia.
Tu purga nos a peccatis:
Auctor ipse puritatis,
Et in Christo renovatis:
Da perfectae novitatis
Plena nobis gaudia.

Corporis Christi: Meditatio *De frequenti Communione* (p. 443).

Digitized by Google

SS. Cordis Iesu: Meditationes *De Sacro Corde* (p. 448 sqq).

Assumptio B. M. V.: Meditationes *De Assumptione B. M. V.* (p. 457).

Nativitas B. M. V.: Meditationes *De Nat. B. M. V.* (p. 464).

Omnium Sanctorum: Meditatio 1 et 2 *De caelo* (p. 342 et 345).

In Comm. Omnium Fid. Def.: Meditationes *De Purgatorio* (p. 326 et 329).

Meditatio quinquagesima nona.

Immac. Conceptio B. M. V: 1. Maxime decuit, ut *Deus Pater*, praeservaret filiam suam primogenitam (Eccli 24, 5) a labe peccati originalis. Nam praedestinavit eam in mediatricem, et in mulierem, quae contereret caput serpentis (Gn 3, 15), et in matrem et habitaculum Dei; «neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo» (1 Paral.

Digitized by Google

29, 1). Quod vel alicui mortalium concessum fuit, Mariae certo datum fuit secundum SS. Patres. Sed protoparentibus data fuit immunitas a labe originali. Ergo

2. maxime decuit *Deum Filium*, «qui talem sibi ex omnibus debuit eligere, immo condere matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram» (*S. Bern.*, Hom. 3 super Missus est) et propterea eam debuit creare immaculatam. «Fuit electa ut esset Mater Dei; et ideo non est dubitandum quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit» (*S. Thom.* 3, q. 26, a. 4). Sed quam indigna fuisse si contraxisset peccatum originale, per quod fuisset inimica Dei et mancipium diaboli!

3. Maxime decuit *Spiritum Sanctum* praeservare sponsam suam. «Spiritus Sanctus superveniente in te» (Lc 1, 35). «Tota

Digitized by Google

pulchra es, amica mea, et macula non est in te.... Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus» (Ct 4, 7 et 12). Sic Spiritus Sanctus eam alloquitur [1].

Propositum: Imitare B. V. puritatem ab omni peccato per puritatem conscientiae, praesertim a tali peccato.

Meditatio sexagesima.

Nativ. Domini: «Et peperit Filium suum primogenitum» (Lc 1, 17). «Dum nocte intempesta vacaret Virgo altissimae rerum divinarum contemplationi, excitata praenuntiis partus, non doloribus, sed suavibus motibus, quibus sacer foetus utero se prodire gestire significaret, corpore composito peperit, caelestis consolationis et gaudii plena, nullum passa virginitatis detrimentum. Nullam aut infirmitatem aut

[1] Medit. desumpta ex *S. Alphonso de Lig.*, Glor. Mar. P. II, Concio 1.

Digitized by Google

dolorem inter pariendum passa est, libera a maledicto illo: *In dolore paries filios* (Gn 3, 16). Exceptum manibus, provoluta in genua adoravit, adoratum suavissime est osculata, lotum deinde involvit pannis ac fasciis, ut solent recens nati pueruli» (*Lucas Brugensis* in l. c.).

«Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei . . . secundum suam misericordiam salvos nos fecit . . . ut iustificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae» (Epist. Missae II ad Tit. 3, 5 et 7).

«Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam: et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cuius capitis, cuius corporis sis membrum. Reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum» (*S. Leo*, Brev. Rom. i. h. d.

Digitized by Google

lect. 6). Quapropter «abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo» (Epist. Missae I ad Tit 2, 12).

Quid in tua agendi ratione emendandum? Puerulo Iesu offer propositum emendationis practicum.

Lege orationem p. 230.

Digitized by Google

Pars VI.

Lectiones sacrae.

SS. D. N. Pii PP. X exhortatio ad clerum.

Pius PP. X

Dilecti filii

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

I. S. Pontificis sollicitudo pro cleri sanctimonia.

Haerent animo penitus, suntque plena formidinis, quae gentium Apostolus ad Hebraeos scribebat (13, 17), cum illos commonens de obedientiae officio praepositis debitae, gravissime affirmabat: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Haec nimirum sententia si ad

Digitized by Google

omnes pertinet, quotquot in Ecclesia praesunt, at maxime in Nos cadit, qui, licet impares, supremam in ea auctoritatem, Deo dante, obtinemus. Quare noctu atque interdiu sollicitudine affecti, meditari atque eniti non intermittimus quaecumque ad incolumitatem faciant et incrementa dominici gregis. Inter haec unum praecipue Nos occupat: homines sacri ordinis eos omnino esse, qui pro muneris officio esse debent. Persuasum enim habemus, hac maxime via de religionis statu bene esse laetiusque sperandum. Idcirco, statim ut Pontificatum inivimus, quamquam, universitatem cleri contuentibus, multiplices eius laudes elucebant, tamen venerabiles fratres catholici orbis episcopos impensissime hortandos censuimus, ut nihil constantius, nihil efficacius agerent, quam ut Christum formarent in iis, qui formando in ceteris Christo rite destinantur. Sacrorum autem antistitum quae fuerint in hac re

Digitized by Google

voluntates probe novimus. Novimus qua providentia, qua navitate in excolendo ad virtutem clero assidue connituntur: de quo illis non tam laudem impertivisse, quam gratias palam habuisse libet.

II. Nunc iterum exhortationem suam ad clerum dirigit.

At vero, cum ex huiusmodi episcoporum curis iam plures e clero gratulamur caelestes concepisse ignes, unde gratiam Dei, ex impositione manuum presbyterii susceptam, vel resuscitarunt vel acuerunt; tum adhuc conquerendum superest, alios quosdam per diversas regiones non ita se probare, ut in ipsos tamquam in speculum, prout dignum est, plebs christiana coniciens oculos, sumere possit quod imitetur. Ad hos porro cor Nostrum per hasce litteras patere volumus; videlicet ut cor patris, quod in conspectu aegrotantis filii anxia palpitat caritate. Hac igitur sua-

Digitized by Google

dente, hortationibus episcoporum hortationes addimis Nostras: quae, quamvis eo spectent potissimum ut devios torpentesve ad meliora revocent, tamen etiam ceteris admoveant velimus incitamenta. Commonstramus iter quo quisque studiosius in dies contendat ut vere sit, qualem Apostolus nitide expressit, *homo Dei* (Tim 6, 11), iustaeque expectationi Ecclesiae respondeat. — Nihil plane inauditum vobis aut cuiquam novum dicemus, sed quae certe commeminisse omnes oportet: spem autem indit Deus, vocem Nostram fructum non exiguum esse habituram. Id equidem flagitamus: *Renovamini . . . spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis* (Eph 4, 23 sq): eritque hoc a vobis in quinquagesimo sacerdotii Nostri natali pulcherrimum acceptissimumque munus. Cumque Nos, *in animo contrito et spiritu humili-*

Digitized by Google

tatis (Dn 3, 39), exactos in sacerdotio annos recogitabimus Deo; quidquid humani dolendum sit, videbimur quodammodo expiare, admonendo vos et cohortando *ut ambuletis digne Deo per omnia placentes* (Col 1, 10). — Qua tamen in hortatione, non vestras tantum utilitates tuebimur, sed communes etiam catholicarum gentium; cum aliae ab aliis dissociari nequaquam possint. Etenim non eiusmodi est sacerdos, qui bonus malusve uni sibi esse queat; sed eius ratio et habitus vitae sane quantum habet consequentis effectus in populum. Sacerdos reapse bonus ubi est, quale ibi donum et quantum est!

III. Sacerdos, qui alios sanctificare debet, sanctus sit oportet.

Hinc porro, dilecti filii, hortationis Nostrae exordium capimus, ut vos nimirum ad eam vitae sanctimoniam, quam dignitatis gradus postulat, excitemus. — Quicum-

Digitized by Google

que enim sacerdotio potitur, eo non sibi tantum, sed aliis potitur: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum* (Hebr 5, 1). Idipsum et Christus indicavit, qui ad significandum quo demum actio sacerdotum spectet, eos cum sale itemque cum luce comparatos voluit. Lux ergo mundi, sal terrae sacerdos est. Neminem sane fugit id praecipue fieri christiana veritate tradenda: at vero quem pariter fugiat, institutionem eiusmodi pro nihilo fere esse, si, quae sacerdos verbo tradat, exemplo suo non comprobet? Qui audiunt, contumeliose ii quidem, sed non immerito obicient: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (Tit 1, 16); doctrinamque respuent, nec sacerdotis fruentur luce. Quamobrem ipse Christus, factus sacerdotum forma, re primum, mox verbis docuit: *Coepit Iesus facere, et docere* (Act 1, 1). —

Digitized by Google

Item, sanctimonia posthabita, nihil admodum sacerdos sal terrae esse poterit; corruptum enim et contaminatum integritati minime aptum est conferendae: unde autem sanctitas abest, ibi corruptionem inesse oportet. Quapropter Christus, eamdem insistens similitudinem, sacerdotes tales sal infatuatum dicit, quod *ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras*, atque adeo *conculcetur ab hominibus* (Mt 5, 13).

IV. Munera, quibus fungitur sacerdos, sanctitatem postulant.

Quae quidem eo apertius patent, quod sacerdotali munere haud nostro nos fungimur nomine, sed Christi Iesu. *Sic nos*, inquit Apostolus, *existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (1 Cor 4, 1): *pro Christo ergo legatione fungimur* (2 Cor 5, 20). — Hac nempe de causa Christus ipse, non ad servorum, sed ad amicorum nume-

Digitized by Google

rum nos adscripsit: *Iam non dicam vos servos. . . . Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. . . . Elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis* (Io 15, 15 sq). — Est igitur nobis persona Christi gerenda: legatio vero ab ipso data sic obeunda, ut quo ille intendit, eo nos pertingamus. Quoniam vero *idem velle idem nolle, ea demum firma amicitia est;* tenemur, ut amici, hoc sentire in nobis, quod et in Christo Iesu, qui est *sanctus, innocens, impollutus* (Hebr 7, 26): ut legati ab eo, debemus doctrinis eius ac legi conciliare fidem hominum, easdem nimirum nos ipsi primum servantes: ut potestatis eius participes ad animos vinculis culparum levandos, conari nos omni studio oportet ne illis implicemur. At maxime ut ministri eius in praecellentissimo sacrificio, quod perenni virtute pro mundi vita innovatur, debemus ea animi con-

Digitized by Google

formatione uti, qua ille ad aram crucis se ipsum obtulit hostiam immaculatam Deo. Nam si olim, in specie solummodo ac figura, tanta a sacerdotibus postulabatur sanctitas; ecquid a nobis, cum victima est Christus? *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem? os quod igne spiritali repletur, linguam quae tremendo nimis sanguine rubescit* (*S. Io. Chrysost.*, Hom. 82 in Matth. n. 5). Perapte S. Carolus Borromaeus, in orationibus ad clerum, sic instabat: «Si meminissemus, dilectissimi fratres, quanta et quam digna in manibus nostris posuerit Dominus Deus, quantam istiusmodi consideratio vim haberet ad nos impellendum ut vitam ecclesiasticis hominibus dignam duceremus! Quid non posuit in manu mea Dominus, quando proprium Filium suum unigenitum, sibi coaeternum et

Digitized by Google

coaequalem, posuit? In manu mea posuit thesauros suos omnes, sacramenta et gratias; posuit animas, quibus illi nihil est carius, quas sibi ipsi praetulit in amore, quas sanguine suo redemit: in manu mea posuit caelum, quod et aperire et claudere ceteris possim. . . . Quomodo ergo adeo ingratus esse potero tantae dignationi et dilectioni, ut peccem contra ipsum? ut illius honorem offendam? ut hoc corpus, quod suum est, inquinem? ut hanc dignitatem, hanc vitam, eius obsequio consecratam, maculem?»

V. Ecclesiae sollicitudo.

Ad hanc ipsam vitae sanctimoniam, de qua iuvat paulo fusius dicere, magnis Ecclesia spectat perpetuisque curis. Sacra idcirco Seminaria instituta: ubi, si litteris ac doctrinis imbuendi sunt qui in spem cleri adolescunt, at simul tamen praecipueque ad pietatem omnem a teneris annis sunt con-

Digitized by Google

formandi. Subinde vero, dum ipsa candidatos diuturnis intervallis gradatim promovet, nusquam, ut mater sedula, hortationibus de sanctitate assequenda parcit. Iucunda quidem ea sunt ad recolendum. Cum enim primo in sacram militiam cooptavit, voluit nos ea rite profiteri: *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei: tu es, qui restitues haereditatem meam mihi* (Ps 15, 5). Quibus, inquit Hieronymus, monetur *clericus* ut *qui, vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se* exhibeat, *ut et ipse possideat Dominum et possideatur a Domino* (Ep. 52, ad Nepotianum, n. 5). — Subdiaconis accensendos ipsa quam graviter est allocuta! *Iterum atque iterum considerare debetis attente quod onus hodie ultro appetitis; . . . quod si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo . . . perpetuo famulari, et castitatem, illo adiuvante, servare oportebit.*

Digitized by Google

Tum denique: *Si usque nunc fuistis tardi ad ecclesiam, amodo debetis esse assidui: si usque nunc somnolenti, amodo vigiles: ... si usque nunc inhonesti, amodo casti.... Videte cuius ministerium vobis traditur!* — Diaconatu porro augendis sic per antistitem a Deo precata est: *Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas et spiritualis observantia disciplinae. In moribus eorum praecepta tua fulgeant, ut suae castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat.* — Sed eo acrius movet commonitio initiandis sacerdotio facta: *Cum magno timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum ut caelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendet. . . . Sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi, ut praedicatione atque exemplo aedificetis domum, id est familiam Dei.* Maximeque om-

Digitized by Google

nium urget illud gravissime additum: *Imitamini quod tractatis*: quod profecto cum Pauli praecepto congruit: *ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu* (Col 1, 28).

VI. SS. Patrum et Doctorum sententia.

Tales igitur cum sit mens Ecclesiae de sacerdotum vita, mirum nemini esse possit, quod sancti Patres ac Doctores omnes ita de ea re consentiant, ut illos fere nimios quis arbitretur. Quos tamen si prudenter aestimemus, nihil eos nisi apprime verum rectumque docuisse iudicabimus. Eorum porro sententia haec summatim est. Tantum scilicet inter sacerdotem et quemlibet probum virum intercedere debet discriminis, quantum inter caelum et terram: ob eamque causam, virtuti sacerdotali cavendum non solum ne gravioribus criminibus sit affinis, sed ne minimis quidem. In quo virorum tam venerabilium iudicio Tridentina

Digitized by Google

Synodus stetit, cum monuit clericos ut fugerent *levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent* (sess. 22, de reform. c. 1): maxima scilicet, non re ipsa, sed respectu peccantis, in quem, potiore iure quam in templorum aedificia, illud convenit: *Domum tuam decet sanctitudo* (Ps 92, 5).

VII. In quo consistat sanctitas sacerdotalis.

Iam sanctitas eiusmodi, qua sacerdotem carere sit nefas, videndum est in quo sit ponenda; id enim si quis ignoret vel praepostere accipiat, magno certe in discrimine versatur. Equidem sunt qui putent, quin etiam profiteantur, sacerdotis laudem in eo collocandam omnino esse, ut sese aliorum utilitatibus totum impendat: quamobrem, dimissa fere illarum cura virtutum, quibus homo perficitur ipse (eas ideo vocitant *passivas*), aiunt vim omnem atque studium esse conferenda ut *activas*

Digitized by Google

virtutes quis excolat exerceatque. Haec sane doctrina mirum quantum fallaciae habet atque exitii. De ea Decessor Noster fel. rec. sic pro sua sapientia edixit (Ep. *Testem benevolentiae,* ad Archiep. Baltimore, 22 Ian. 1899): «Christianas virtutes, alias temporibus aliis accommodatas esse, is solum velit, qui Apostoli verba non meminerit: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (Rom 8, 29). Magister et exemplar sanctitatis omnis Christus est; ad cuius regulam aptari omnes necesse est, quotquot avent beatorum sedibus inseri. Iamvero haud mutatur Christus progredientibus saeculis, sed idem *heri et hodie: ipse et in saecula* (Hebr 13, 8). Ad omnium igitur aetatum homines pertinet illud: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (Mt 11, 29); nulloque non tempore Christus se nobis exhibet *factum obedientem usque ad mortem* (Phil 2, 8); valetque quavis

Digitized by Google

aetate Apostoli sententia: *Qui . . . sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (Gal 5, 24).» — Quae documenta si quidem spectant unumquemque fidelium, propius tamen ad sacerdotes attinent: ipsique prae ceteris dicta sibi habeant quae idem Decessor Noster apostolico ardore subiecit: «Quas utinam virtutes multo nunc plures sic colerent, ut homines sanctissimi praeteritorum temporum! qui demissione animi, obedientia, abstinentia, *potentes* fuerunt *opere et sermone*, emolumento maximo, nedum religiosae rei, sed publicae ac civilis.» Ubi animadvertere non abs re fuerit, Pontificem prudentissimum iure optimo singularem abstinentiae mentionem intulisse, quam evangelico verbo dicimus, abnegationem sui. Quippe hoc praesertim capite, dilecti filii, robur et virtus et fructus omnis sacerdotalis muneris continetur: hoc neglecto, exoritur quidquid in

Digitized by Google

moribus sacerdotis possit oculos animosque fidelium offendere. Nam si turpis lucri gratia quis agat, si negotiis saeculi se involvat, si primos\ appetat accubitus ceterosque despiciat, si carni et sanguini acquiescat, si quaerat hominibus placere, si fidat persuasibilibus humanae sapientiae verbis; haec omnia inde fluunt, quod Christi mandatum negligit conditionemque respuit ab ipso latam: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* (Mt 16, 24).

VIII. Etsi aliorum quoque sanctitas ab eo procuranda est, haec tamen ab ipsius sanctimonia dependet.

Ista Nos cum adeo inculcamus, illud nihilo minus sacerdotem admonemus, non sibi demum soli vivendum sancte: ipse enimvero est operarius, quem Christus *exiit . . . conducere in vineam suam* (Mt 20, 1). Eius igitur est fallaces herbas evellere, serere utiles, irrigare, tueri ne inimicus homo

Digitized by Google

superseminet zizania. Cavendum propterea sacerdoti, ne inconsulto quodam intimae perfectionis studio adductus, quidquam praetereat de muneris partibus quae in aliorum bonum conducant. Cuiusmodi sunt verbum Dei nuntiare, confessiones rite excipere, adesse infirmis praesertim morituris, ignaros fidei erudire, solari moerentes, reducere errantes, usquequaque imitari Christum: *Qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo* (Act 10, 38). — Inter haec vero insigne Pauli monitum sit menti defixum: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus* (1 Cor 3, 7). Liceat quidem euntes et flentes mittere semina; liceat ea labore multo fovere: sed ut germinent edantque optatos fructus, id nempe unius Dei est eiusque praepotentis auxilii. Hoc accedit magnopere considerandum, nihil praeterea esse homines nisi instrumenta, quibus ad animorum

Digitized by Google

salutem utitur Deus; ea oportere idcirco ut apta sint quae a Deo tractentur. Qua sane ratione? Num ulla putamus vel insita vel parta studio praestantia moveri Deum ut opem adhibeat nostram ad suae gloriae amplitudinem? Nequaquam: scriptum est enim: *Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret* (1 Cor 1, 27 sq). Unum nimirum est quod hominem cum Deo coniungat, unum quod gratum efficiat, atque non indignum eius misericordiae administrum: vitae morumque sanctimonia. Haec, quae demum est supereminens Iesu Christi scientia, sacerdoti si desit, desunt ei omnia. Nam ab ea disiunctae, ipsa exquisitae doctrinae copia (quam Nosmetipsi nitimur in clero provehere), ipsaque agendi dexteritas et sollertia, etiamsi

Digitized by Google

emolumenti aliquid vel Ecclesiae vel singulis afferre possint, non raro tamen detrimenti iisdem sunt flebilis causa. Sanctimonia vero qui ornetur et affluat, is quam multa possit, vel infimus, mirifice salutaria in populo Dei aggredi et perficere, complura ex omni aetate testimonia loquuntur: praeclare, non remota memoria, Ioannes Bapt. Vianney, animarum in exemplum curator, cui honores Caelitum Beatorum Nosmet decrevisse laetamur. Sanctitas una nos efficit, quales vocatio divina exposcit: homines videlicet mundo crucifixos, et quibus mundus ipse sit crucifixus; homines in novitate vitae ambulantes, qui, ut Paulus monet (2 Cor 6, 5 sqq), *in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis* seipsos exhibeant ut ministros Dei; qui unice in caelestia tendant, et alios eo-

Digitized by Google

dem adducere omni ope contendant.

IX. Ad sanctitatem imprimis necessaria est oratio.

Quoniam vero, ut nemo unus ignorat, vitae sanctitas eatenus fructus est voluntatis nostrae, quoad haec gratiae subsidio roboretur a Deo, abunde nobis Deus ipse providit, ne gratiae munere, si velimus, ullo tempore careamus; idque in primis assequimur studio precandi. — Sane precationem inter et sanctimoniam is necessario intercedit usus, ut altera esse sine altera nullo modo possit. Quocirca consentanea omnino veritati est ea sententia Chrysostomi: *Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit absque precationis praesidio cum virtute degere* (De precatione, orat. 1); acuteque Augustinus conclusit: *Vere novit recte vivere, qui recte novit orare* (Hom. 4 ex 50). Quae nobis documenta Christus ipse et

Digitized by Google

crebra hortatione et maxime exemplo suo firmius persuasit. Nempe orandi causa vel in deserta secedebat, vel montes subibat solus; noctes solidas totus in eo exigebat; templum frequenter adibat; quin etiam, stipantibus turbis, ipse erectis in caelum oculis palam orabat; denique suffixus cruci, medios inter mortis dolores, cum clamore valido et lacrimis supplicavit Patri. — Hoc igitur certum ratumque habeamns, sacerdotem, ut gradum officiumque digne sustineat suum, precandi studio eximie deditum esse oportere. Saepius quidem dolendum quod ipse ex consuetudine potius id faciat quam ex animi ardore; qui statis horis oscitanter psallat vel pauculas interserat preces, nec deinde ullam de die partem memor tribuat alloquendo Deo, pie sursum adspirans. Sed enim sacerdos multo impensius ceteris paruisse debet Christi praecepto: *Oportet semper orare* (Lc 18, 1); cui inhaerens

Digitized by Google

Paulus tantopere suadebat: *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione* (Col 4, 2): *Sine intermissione orate* (1 Thess 5, 17). Animo quippe sanctimoniae propriae aeque ac salutis alienae cupido quam multae per diem sese dant occasiones ut in Deum feratur! Angores intimi, tentationum vis ac pertinacia, virtutum inopia, remissio ac sterilitas operum, offensiones et negligentiae creberrimae, timor demum ad iudicia divina; haec omnia valde incitant ut ploremus coram Domino, ac, praeter impetratam opem, bonis ad ipsum meritis facile ditescamus. Neque nostra tantummodo ploremus causa oportet. In ea, quae latius ubique funditur, scelerum colluvione, nobis vel maxime imploranda exorandaque est divina clementia; nobis instandum apud Christum, sub mirabili Sacramento omnis gratiae benignissime prodigum: *Parce, Domine, parce populo tuo.*

Digitized by Google

X. Meditatio quotidiana numquam omittenda.

Illud in hac parte caput est, ut aeternarum rerum meditationi certum aliquod spatium quotidie concedatur. Nemo est sacerdos qui possit hoc sine gravi incuriae nota et animae detrimento praetermittere. Ad Eugenium III, sibi quondam alumnum, tunc vero romanum Pontificem, Bernardus Abbas sanctissimus scribens, eum libere obnixeque admonebat, ne umquam a quotidiana divinorum meditatione vacaret, nulla admissa excusatione curarum, quas multas et maximas supremus habet apostolatus. Id autem se iure exposcere contendebat, utilitates eiusdem exercitationis ita enumerans prudentissime: *Fontem suum, id est mentem, de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat; postremo di-*

Digitized by Google

vinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. Haec est quae confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat. Haec est quae agenda praeordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum aut correctione egens. Haec est quae in prosperis adversa praesentit, in adversis quasi non sentit; quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiae est (De Consid. l. 1, c. 7). Quae quidem magnarum utilitatum summa, quas meditatio parere est nata, nos item docet atque admonet, quam sit illa, non modo in omnem partem salutaris, sed admodum necessaria.

XI. Meditationis necessitas cum ex munere sacerdotali, tum ex tristi exemplo sacerdotum eam negligentium probatur.

Quamvis enim varia sacerdotii munia augusta sint et plena ve-

Digitized by Google

nerationis, usu tamen frequentiore fit ut ipsa tractantes non ea plane qua par est religione perpendant. Hinc, sensim defervescente animo, facilis gressus ad socordiam, atque adeo ad fastidium rerum sacerrimarum. Accedit, quod sacerdotem quotidiana consuetudine versari necesse sit quasi *in medio nationis pravae;* ut saepe, in pastoralis ipsa caritatis perfunctione, sit sibi pertimescendum ne lateant inferni anguis insidiae. Quid, quod tam est proclive, de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere? Apparet igitur quae et quanta urgeat necessitas ad aeternorum contemplationem quotidie redeundi, ut adversus illecebras mens et voluntas, renovato subinde robore, obfirmentur. — Praeterea expedit sacerdoti quadam instrui facilitate assurgendi nitendique in caelestia; qui caelestia sapere, eloqui, suadere omnino debet; qui sic debet vitam suam omnem supra humana instituere, ut, quidquid

Digitized by Google

pro sacro munere agit, secundum Deum agat, instinctu ductuque fidei. Iamvero hunc animi habitum, hanc veluti nativam cum Deo coniunctionem efficit maxime ac tuetur quotidianae meditationis praesidium; id quod prudenti cuique tam perspicuum est, ut nihil opus sit longius persequi. — Quarum rerum confirmationem petere licet, sane tristem ex eorum vita sacerdotum, qui divinorum meditationem vel parvi pendunt vel plane fastidiunt. Videas enim homines, in quibus *sensus Christi,* illud tam praestabile bonum, oblanguit; totos ad terrena conversos, vana consectantes, leviora effutientes, sacrosancta obeuntes remisse, gelide, fortasse indigne. Iampridem ipsi, unctionis sacerdotalis recenti charismate perfusi, diligenter parabant ad psallendum animam, ne perinde essent ac qui tentant Deum; opportuna quaerebant tempora locaque a strepitu remotiora; divina scrutari sensa studebant;

Digitized by Google

laudabant, gemebant, exsultabant, spiritum effundebant cum Psalte. Nunc vero, quantum mutati ab illis sunt! . . . — Itemque vix quidquam in ipsis residet de alacri ea pietate quam spirabant erga divina mysteria. Quam dilecta erant olim tabernacula illa! gestiebat animus adesse in circuitu mensae Domini, et alios ad eam atque alios advocare pios. Ante sacrum quae mundities, quae preces desiderantis animae! tum in ipso agendo quanta erat reverentia, augustis caeremoniis decore suo integris; quam effusae ex praecordiis gratiae: feliciterque manabat in populum bonus odor Christi! . . . — *Rememoramini*, obsecramus, dilecti filii, *rememoramini pristinos dies* (Hebr 10, 32): tunc nempe calebat anima, sanctae meditationis studio enutrita.

Digitized by Google

XII. Minime excusandi, qui occupationum cumulum obtendant, vel etiam tempus meditationis perditum arbitrentur.

In his autem ipsis, qui *recogitare corde* (Ir 12, 11) gravantur vel negligunt, non desunt sane qui consequentem animi sui egestatem non dissimulent excusentque, id causae obtendentes, se totos agitationi ministerii dedidisse, in multiplicem aliorum utilitatem. Verum falluntur misere. Nec enim assueti cum Deo colloqui, cum de eo ad homines dicunt vel consilia christianae vitae impertiunt, prorsus carent divino afflatu, ut evangelicum verbum videatur in ipsis fere intermortuum. Vox eorum, quantavis prudentiae vel facundiae laude clarescat, vocem minime reddit Pastoris boni, quam oves salutariter audiant: strepit enim diffluitque inanis, atque interdum damnosi fecunda exempli, non sine religionis dedecore et offensione bonorum. Nec dissimiliter fit in

Digitized by Google

ceteris partibus actuosae vitae: quippe vel nullus inde solidae utilitatis proventus, vel brevis horae, consequitur, imbre deficiente caelesti, quem sane devocat uberrimum *oratio humiliantis se* (Eccli 35, 21). — Quo loco facere quidem non possumus quin eos vehementer doleamus, qui pestiferis novitatibus abrepti, contra haec sentire non vereantur, impensamque meditando et precando operam quasi perditam arbitrentur. Proh funesta caecitas! Utinam, secum ipsi probe considerantes, aliquando cognoscerent quorsum evadat neglectus iste contemptusque orandi. Ex eo nimirum germinavit superbia et contumacia; unde nimis amari excrevere fructus, quos paternus animus et commemorare refugit et omnino resecare exoptat. Optatis annuat Deus; qui benigne devios respiciens, tanta in eos copia *spiritum gratiae et precum* effundat, ut errorem deflentes suum, male desertas vias communi cum

Digitized by Google

gaudio volentes repetant, cautiores persequantur. Item ut olim Apostolo (Phil 1, 8), ipse Deus sit Nobis testis, quo modo eos omnes cupiamus in visceribus Iesu Christi!

XIII. Hortatio Christi; vis meditationis pro recto animarum regimine.

Illis igitur vobisque omnibus, dilecti filii, alte insideat hortatio Nostra, quae Christi Domini est: *Videte, vigilate, et orate* (Mc 13, 33). Praecipue in pie meditandi studio uniuscuiusque elaboret industria: elaboret simul animi fiducia, identidem rogantis: *Domine, doce nos orare* (Lc 11, 1). Nec parvi quidem momenti esse nobis ad meditandum debet peculiaris quaedam causa; scilicet quam magna vis consilii virtutisque inde profluat, bene utilis ad rectam animarum curam, opus omnium perdifficile. — Cum re cohaeret, et est memoratu dignum, Sancti Caroli pastorale alloquium: «In-

Digitized by Google

telligite, fratres, nil aeque ecclesiasticis omnibus viris esse necessarium ac est oratio mentalis, actiones nostras omnes praecedens, concomitans et subsequens: *Psallam,* inquit propheta, *et intelligam* (Ps 100, 2). Si Sacramenta ministras, o frater, meditare quid facis; si Missam celebras, meditare quid offers; si psallis, meditare cui et quid loqueris; si animas regis, meditare quonam sanguine sint lavatae» (Ex orationibus ad clerum). Quapropter recte ac iure Ecclesia nos ea davidica sensa iterare frequenter iubet: *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur; voluntas eius permanet die ac nocte; omnia quaecumque faciet semper prosperabuntur.* — Ad haec unum denique instar omnium sit nobile incitamentum. Sacerdos enim, si *alter Christus* vocatur et est communicatione potestatis, nonne talis omnino et fieri et haberi debeat etiam imitatione factorum? . . . *Summum igitur*

Digitized by Google

studium nostrum sit in vita Iesu Christi meditari (De imitatione Christi 1, 1).

XIV. Librorum piorum lectio assidua commendatur.

Cum divinarum rerum quotidiana consideratione magni refert ut sacerdos piorum librorum lectionem, eorum in primis qui divinitus inspirati sunt, coniungat assiduus. Sic Paulus mandabat Timotheo: *Attende lectioni* (1 Tim 4, 13). Sic Hieronymus, Nepotianum de vita sacerdotali instituens, id inculcabat: *Numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur:* cuius rei hanc subtexebat causam: *Disce quod doceas: obtine eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere.* Quantum enimvero proficiunt sacerdotes qui constanti hoc praestant assuetudine; ut sapide praedicant Christum, utque mentes animosque audientium,

Digitized by Google

potius quam emolliant et mulceant, ad meliora impellunt, ad superna erigunt desideria! — Sed alia quoque de causa, atque ea in rem vestram, dilecti filii, frugifera, praeceptio valet eiusdem Hieronymi: *Semper in manu tua sacra sit lectio* (Ep. 58, ad Paulinum n. 6). Quis enim nesciat maximam esse in amici animum vim cuiuspiam amici qui candide moneat, consilio iuvet, carpat, excitet, ab errore avocet? *Beatus, qui invenit amicum verum . . .* (Eccli 25, 12); *qui autem invenit illum, invenit thesaurum* (ib. 6, 14). Iamvero amicos vere fideles adscribere ipsi nobis pios libros debemus. De nostris quippe officiis ac de praescriptis legitimae disciplinae graviter commonefaciunt; repressas in animo caelestes voces suscitant; desidiam propositorum castigant; dolosam obturbant tranquillitatem; minus probabiles affectiones, dissimulatas, coarguunt; pericula detegunt, sae-

Digitized by Google

penumero incautis patentia. Haec autem omnia sic illi tacita cum benevolentia praestant, ut se nobis non modo amicos praebeant, sed amicorum perquam optimos praebeant. Siquidem habemus, cum libeat, quasi lateri adhaerentes, intimis necessitatibus nulla non hora promptos; quorum vox numquam est acerba, consilium numquam cupidum, sermo numquam timidus aut mendax. — Librorum piorum saluberrimam efficacitatem multa quidem eaque insignia declarant exempla; at exemplum profecto eminet Augustini, cuius promerita in Ecclesiam amplissima inde auspicium duxerunt: *Tolle, lege; tolle, lege. . . . Arripui, aperui* (epistolas Pauli apostoli) *et legi in silentio. . . . Quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebrae diffugerunt* (Conf. l. 8, c. 12). Sed contra heu! saepius accidit nostra aetate, ut homines e clero tenebris dubitationis sensim offundantur et sae-

Digitized by Google

culi obliqua sectentur, eo praesertim quod piis divinisque libris longe alios omne genus atque ephemeridum turbam praeoptent, ea quidem scatentia errore blando ac lue. Vobis, dilecti filii, cavete: adultae provectaeque aetati ne fidite, neve sinite spe fraudulenta illudi, ita vos posse aptius communi bono prospicere. Certi custodiantur fines, tum quos Ecclesiae leges praestituant, tum quos prudentia cernat et caritas sui: nam venena istaec semel quis animo imbiberit, concepti exitii perraro quidem effugiet damna.

XV. Examen conscientiae quotidianum.

Porro emolumenta, tum a sacra lectione, tum ex ipsa meditatione caelestium quaesita, futura certe sunt sacerdoti uberiora, si argumenti quidpiam accesserit, unde ipsemet dignoscat an lecta et meditata religiose studeat in usu vitae perficere. Est apposite ad rem

Digitized by Google

egregium quoddam documentum Chrysostomi, sacerdoti praesertim exhibitum. Quotidie sub noctem, antequam somnus obrepat, *excita iudicium conscientiae tuae; ab ipsa rationem exige, et quae interdiu mala cepisti consilia . . . fodica et dilania, et de eis poenam sume* (Exposit. in Ps. 4, n. 8). Quam rectum id sit ac fructuosum christianae virtuti, prudentiores pietatis magistri luculenter evincunt, optimis quidem monitis et hortamentis. Praeclarum illud referre placet e disciplina Sancti Bernardi: *Integritatis tuae curiosus explorator, vitam tuam in quotidiana discussione examina. Attende diligenter quantum proficias, vel quantum deficias. . . . Stude cognoscere te. . . . Pone omnes transgressiones tuas ante oculos tuos. Statue te ante te, tamquam ante alium; et sic te ipsum plange* (Meditationes piissimae c. 5: De quotid. sui ipsius exam.).

Digitized by Google

XVI. Arguit sacerdotum tepidorum negligentiam in examine quotidiano et confessione sacramentali.

Etiam in hac parte probrosum vere sit, si Christi dictum eveniat: *Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis!* (Lc 16, 8.) Videre licet quanta illi sedulitate sua negotia procurent: quam saepe data et accepta conferant; quam accurate restricteque rationes subducant; iacturas factas ut doleant, seque ipsi acrius excitent ad sarciendas. Nos vero, quibus fortasse ardet animus ad aucupandos honores, ad rem familiarem augendam, ad captandam praesidio scientiae praedicationem unice et gloriam; negotium maximum idemque perarduum, sanctimoniae videlicet adeptionem, languentes, fastidiosi tractamus. Nam vix interdum apud nos colligimus et exploramus animum; qui propterea paene silvescit, non secus ac vinea pigri, de qua scriptum: *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri*

Digitized by Google

stulti: et ecce totum repleverant urticae, et operuerunt superficiem eius spinae, et maceria lapidum destructa erat (Prv 24, 30 sq). — Ingravescit res, crebrescentibus circum exemplis pravis, sacerdotali ipsi virtuti haud minime infestis; ut opus sit vigilantius quotidie incedere ac vehementius obniti. Iam experiendo cognitum est, qui frequentem in se censuram et severam de cogitatis, de dictis, de factis peragat, eum plus valere animo, simul ad odium et fugam mali, simul ad studium et ardorem boni. Neque minus experiendo compertum, quae incommoda et damna fere accidant declinanti tribunal illud, ubi sedeat iudicans iustitia, stet rea et ipsum accusans conscientia. In ipso frustra quidem desideres eam agendi circumspectionem, quae adeo in christiano homine probatur, de minoribus quoque noxis vitandis; eamque verecundiam animi, maxime sacerdotis propriam, ad omnem vel

Digitized by Google

levissimam in Deum offensam expavescentis. Quin immo indiligentia atque neglectus sui nonnumquam eo deterius procedit, ut ipsum negligant poenitentiae sacramentum: quo nihil sane opportunius infirmitati humanae suppeditavit Christus insigni miseratione. — Diffitendum certe non est, acerbeque est deplorandum, non ita raro contingere, ut qui alios a peccando fulminea sacri eloquii vi deterret, nihil tale metuat sibi culpisque obcallescat; qui alios hortatur et incitat ut labes animi ne morentur debita religione detergere, id ipse tam ignave faciat atque etiam diuturno mensium spatio cunctetur; qui aliorum vulneribus oleum et vinum salutare novit infundere, saucius ipse secus viam iaceat, nec medicam fratris manum, eamque fere proximam, providus sibi requirat. Heu quae passim consecuta sunt hodieque consequuntur, prorsus indigna coram Deo et Ecclesia,

Digitized by Google

perniciosa christianae multitudini, indecora sacerdotali ordini!

XVII. Quantum malum sit sacerdotis, pietatis officia negligentis, ruina.

Haec Nos, dilecti filii, pro conscientiae officio cum reputamus, oppletur animus aegritudine, et vox cum gemitu erumpit: Vae sacerdoti, qui suum tenere locum nesciat, et nomen Dei sancti, cui esse sanctus debet, infideliter polluat! Optimorum corruptio, teterrimum: *Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina eorum, si peccant; laetemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum: non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti moeroris de sublimioribus corruisse!* (S. Hieron. in Ezech. l. 13, c. 44, v. 30.) Vae igitur sacerdoti, qui, immemor sui, precandi studium deserit; qui piarum lectionum pabulum respuit; qui ad se ipse numquam regreditur ut accusantis conscientiae exaudiat voces! Neque crudescentia animi

Digitized by Google

vulnera, neque Ecclesiae matris ploratus movebunt miserum, donec eae feriant terribiles minae: *Excaeca cor populi huius, et aures eius aggrava: et oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum* (Is 6, 10). — Triste omen ab unoquoque vestrum, dilecti filii, avertat dives in misericordia Deus; ipse qui Nostrum intuetur cor, nulla prorsus in quemquam amaritudine affectum, sed omni pastoris et patris caritate in omnes permotum: *Quae est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum?* (1 Thess 2, 19.)

XVIII. Nostris praesertim temporibus sacerdotes, omnibus ornati virtutibus, Ecclesiae corona sint necesse est.

At videtis ipsi, quotquot ubique estis, quaenam in tempora, arcano Dei consilio, Ecclesia in-

Digitized by Google

ciderit. Videte pariter et meditamini quam sanctum officium vos teneat, ut a qua tanto dignitatis honore donati estis, eidem contendatis adesse et succurrere laboranti. Itaque in clero, si umquam alias, nunc opus maxime est virtute non mediocri; in exemplum integra, experrecta, operosa, paratissima demum facere pro Christo et pati fortia. Neque aliud quidquam est quod cupidiore Nos animo precemur et optemus vobis, singulis et universis. — In vobis igitur intemerato semper honore floreat castimonia, nostri ordinis lectissimum ornamentum; cuius nitore sacerdos, ut adsimilis efficitur angelis, sic in christiana plebe venerabilior praestat sanctisque fructibus fecundior. — Vigeat perpetuis auctibus reverentia et obedientia, iis sollemni ritu promissa, quos divinus Spiritus rectores constituit Ecclesiae: praecipue in obsequio huic Sedi Apostolicae iustissime

Digitized by Google

debito mentes animique arctioribus quotidie fidelitatis nexibus devinciantur. — Excellatque in omnibus caritas, nullo modo quaerens quae sua sunt: ut, stimulis qui humanitus urgent invidae contentionis cupidaeve ambitionis cohibitis, vestra omnium studia ad incrementa divinae gloriae fraterna aemulatione conspirent. Vestrae beneficia caritatis *multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum,* quam miserrima, exspectat; vel maxime exspectant densi adolescentum greges, civitatis et religionis spes carissima, fallaciis undique cincti et corruptelis. Studete alacres, non modo sacra catechesi impertienda, quod rursus enixiusque commendamus, sed omni quacumque liceat ope consilii et sollertiae bene optimeque mereri de omnibus. Sublevando, tutando, medendo, pacificando, hoc demum velitis ac propemodum sitiatis lucrari vel obstringere animas Christo. Ab inimicis eius heu

Digitized by Google

quam impigre, quam laboriose, quam non trepide agitur, instatur, exitio animarum immenso! — Ob hanc potissime caritatis laudem Ecclesia catholica gaudet et gloriatur in clero suo, christianam pacem evangelizante, salutem atque humanitatem afferente, ad gentes usque barbaras: ubi ex magnis eius laboribus, profuso nonnumquam sanguine consecratis, Christi regnum latius in dies profertur, et fides sancta enitet novis palmis augustior. — Quod si, dilecti filii, effusae caritatis vestrae officiis simultas, convicium, calumnia, ut persaepe fit, responderit, nolite ideo tristitiae succumbere, *nolite deficere bene facientes* (2 Thess 3, 13). Ante oculos obversentur illorum agmina, numero meritisque insignia, qui per Apostolorum exempla, in contumeliis pro Christi nomine asperrimis, *ibant gaudentes, maledicti benedicebant.* Nempe filii sumus fratresque Sanctorum, quorum nomina splendent in libro

Digitized by Google

vitae, quorum laudes nuntiat Ecclesia: *Non inferamus crimen gloriae nostrae!* (1 Mach 9, 10.)

XIX. Secessus annuus et menstruus; conferentiae.

Instaurato et aucto in ordinibus cleri spiritu gratiae sacerdotalis, multo quidem efficacius valebunt Nostra, Deo adspirante, proposita ad cetera, quaecumque late sunt, instauranda. — Quapropter ad ea quae supra exposuimus, certa quaedam adicere visum est, tamquam subsidia eidem gratiae custodiendae et alendae opportuna. Est primum, quod nemini sane non cognitum et probatum, sed non item omnibus re ipsa exploratum est, pius animae recessus ad Exercitia, quae vocant, spiritualia; annuus, si fieri possit, vel apud se singulatim, vel potius una cum aliis, unde largior esse fructus consuevit; salvis Episcoporum praescriptis. Huius instituti utilitates iam Ipsi satis laudavimus,

Digitized by Google

cum nonnulla in eodem genere ad cleri romani disciplinam pertinentia ediximus (Ep. *Experiendo* ad Card. in Urbe Vicarium, 27 Dec. 1904). — Nec minus deinde proficiet animis, si consimilis recessus, ad paucas horas, menstruus, vel privatim vel communiter habeatur: quem morem libentes videmus pluribus iam locis inductum, ipsis episcopis faventibus, atque interdum praesidentibus coetui. — Aliud praeterea cordi est commendare: adstrictiorem quamdam sacerdotum, ut fratres addecet, inter se coniunctionem, quam episcopalis auctoritas firmet ac moderetur. Id sane commendabile, quod in societatem coalescant ad mutuam opem in adversis parandam, ad nominis et munerum integritatem contra hostiles astus tuendam, ad alias istiusmodi causas. At pluris profecto interest, consociationem eos inire ad facultatem doctrinae sacrae excolendam, in primisque ad sanctum vocationis propositum

Digitized by Google

impensiore cura retinendum atque animarum provehendas rationes, consiliis viribusque collatis. Testantur Ecclesiae annales, quibus temporibus sacerdotes passim in communem quamdam vitam conveniebant, quam bonis fructibus id genus societas abundarit. Tale aliquid quidni in hanc ipsam aetatem, congruenter quidem locis et muniis, revocari queat? Pristini etiam fructus, in gaudium Ecclesiae, nonne sint recte sperandi? — Nec vero desunt instituti similis societates, sacrorum antistitum comprobatione auctae; eo utiliores, quo quis maturius, sub ipsa sacerdotii initia, amplectatur. Nosmetipsi unam quamdam, bene aptam experti, fovimus in episcopali munere; eamdem etiamnum aliasque singulari benevolentia prosequimur. — Ista sacerdotalis gratiae adiumenta, eaque item quae vigil Episcoporum prudentia pro rerum opportunitate suggerat, vos, dilecti filii, sic aestimate, sic adhibete,

Digitized by Google

ut magis in dies magisque *digne ambuletis vocatione qua vocati estis* (Eph 4, 1), ministerium vestrum honorificantes, et perficientes in vobis Dei voluntatem, quae nempe est *sanctificatio vestra*.

XX. S. Pontificis preces pro clero; ipsius grati animi sensus.

Huc enimvero feruntur praecipuae cogitationes curaeque Nostrae: propterea sublatis in caelum oculis, supplices Christi Domini voces super universum clerum frequenter iteramus: *Pater sancte . . . sanctifica eos* (Io 17, 11 17). In qua pietate laetamur permultos ex omni fidelium ordine Nobiscum comprecantes habere, de communi vestro et Ecclesiae bono vehementer sollicitos: quin etiam iucundum accidit, haud paucas esse generosioris virtutis animas, non solum in sacratis septis, sed in media ipsa saeculi consuetudine, quae ob eamdem causam sese victimas Deo votivas non intermissa

Digitized by Google

contentione exhibeant. Puras eximiasque eorum preces in odorem suavitatis summus Deus accipiat, neque humillimas abnuat preces Nostras. Faveat, exoramus, clemens idem et providus: atque e sanctissimo dilecti Filii sui Corde divitias gratiae, caritatis, virtutis omnis universum in clerum largiatur. — Postremo, libet gratam ex animo vicem referre vobis, dilecti filii, de votis faustitatis quae, appetente sacerdotii Nostri natali quinquagesimo, multiplici pietate obtulistis: votaque pro vobis Nostra, quo cumulatius eveniant, magnae Virgini Matri concredita volumus, Apostolorum Reginae. Haec etenim illas sacri ordinis felices primitias exemplo suo edocuit, quemadmodum perseverarent unanimes in oratione, donec induerentur superna virtute; eamdemque ipsis virtutem multo sane ampliorem sua deprecatione impetravit, consilio auxit et communivit, ad fertilitatem laborum laetissi-

Digitized by Google

mam. — Optamus interea, dilecti filii, ut pax Christi exultet in cordibus vestris cum gaudio Spiritus Sancti; auspice Apostolica Benedictione, quam vobis omnibus peramanti voluntate impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 4 Augusti anno MCMVIII, Pontificatus Nostri ineunte sexto.

Pius PP. X.

Encyclicae Leonis XIII: De Rosario Mariali.

I. Rosarium est eximia precationis formula.

Probatur 1. *ex historia.* Quo enim tempore Albigensium secta, integritatis fidei morumque specie quidem fautrix, re vera perturbatrix pessima et corruptrix, magno multis gentibus erat exitio, in eam consceleratasque factiones pugnavit Ecclesia, non copiis neque armis, sed interposita praecipue sacratissimi Rosarii virtute,

Digitized by Google

cuius ritum ipsa Dominico patri Deipara tradidit propagandum; atque ita de omnibus magnifice victrix, suorum saluti, tum per eam, tum per similes deinceps procellas, exitu semper glorioso consuluit. Quamobrem in hoc rerum et hominum cursu quem conquerimus, luctuosum religioni, perniciosissimum reipublicae, pari omnes pietate sanctam Dei Genitricem communiter implorare, exorare oportet, ut eamdem eius Rosarii virtutem secundum vota laetemur experti.

2. *Ex ipsa huius precationis natura.* Enimvero quum precando confugimus ad Mariam, ad Matrem Misericordiae confugimus, ita in nos affectam, ut qualicumque necessitate, ad immortalis praesertim vitae adeptionem, premamur, illico nobis et ultro, ne vocata quidem, praesto sit semper, atque de thesauro largiatur illius gratiae, qua inde ab initio donata est plena copia a Deo, digna ut eius Mater

Digitized by Google

existeret. . . . Ei nos igitur, quum gratia plenam angelico praeconio salutamus, eamdemque iteratam laudem in coronas rite connectimus, dici vix potest, quam gratum optatumque fecerimus; toties enim a nobis memoria quasi excitatur tum dignitatis eius excelsae, tum initae a Deo per ipsam humani generis redemptionis; unde etiam commemorata pendet divina et perpetua necessitudo, qua ipsa cum Christi gaudiis et doloribus, opprobriis et triumphis tenetur in regendis hominibus iuvandisque ad aeterna. . . .

Si debemus Christo, quod nobiscum ius sibi proprium quodammodo communicarit, Deum vocandi et habendi Patrem, eidem similiter debemus communicatum amantissime ius, Mariam vocandi et habendi Matrem. Quando autem natura ipsa nomen matris fecit dulcissimum, in eaque exemplar quasi statuit amoris teneri et providentis, lingua quidem haud satis eloqui pot-

Digitized by Google

est, at probe sentiunt piorum animi, quanta in Maria insideat benevolentis actuosaeque caritatis flamma, in ea nimirum, quae nobis, non humanitus, sed a Christo est Mater. Atque multo illa magis nostra omnia habet cognita et perspecta, quibus ad vitam indigeamus praesidiis, quae impendeant publice privatim pericula, quibus in angustiis in malis versemur, quam in primis sit acris cum acerrimis hostibus de salute animae dimicatio: in his autem aliisve asperitatibus vitae, multo ipsa potest largius, et vehementius exoptat, solatium, robur, auxilia omne genus carissimis filiis afferre. Itaque ad Mariam non timide, non remisse adeamus, per illa obsecrantes materna vincula, quibus cum Iesu itemque nobiscum coniunctissima est; praesentem eius opem, quo precationis modo significavit ipsa et peracceptum habet, religiosissime invocemus: tum erit merito in tutela optimae Ma-

Digitized by Google

tris securis laetisque animis conquiescendum.

II. Rosarium idoneum fidei conservandae instrumentum.

Ad hanc Rosarii commendationem ex precatione ipsa profectam accedit, ut in eodem insit facilis quidam usus ad summa fidei christianae capita suadenda animis et inculcanda: quae quidem alia est nobilissima commendatio.

Est enim maxime ex fide, quod homo recte certeque gradus facit ad Deum. . . . Permagno quidem beneficio donavit nos Deus, quum fide hac sancta donavit: cuius munere non solum supra humana erigimur, tamquam speculatores effecti et consortes divinae naturae; sed habemus hoc amplius causam praestantis meriti ad praemia caelestia; proptereaque spes nostra alitur et confirmatur, fore aliquando ut Deum, non iam per adumbratas rerum imagines, sed aperto in lumine contingat intueri

Digitized by Google

ipsum, ipsoque frui ultimo bono perpetuum. . . .

Neque ultimum est fidei adiumentum, quod ex Mariali Rosario petere consuevit (Ecclesia). Quippe in eo, cum pulcherrima fructuosaque prece certo ordine continuata, recolenda succedunt et contemplanda praecipua religionis nostrae mysteria: illa primum, quibus *Verbum caro factum est,* et Maria, Virgo integra et Mater, materna illi officia sancto cum gaudio praestitit; tum Christi dolentis aegritudines, cruciatus, supplicium, quorum pretio salus generis nostri peracta; tum eiusdem plena gloriae mysteria, et de morte triumphus, et ascensus in caelum, et demissus inde divinus Spiritus, atque Mariae sideribus receptae splendida claritudo, denique cum gloria Matris et Filii consociata caelitum omnium gloria sempiterna.

Haec rerum plane admirabilium contexta series in fidelium mentes frequenter assidueque revocatur,

Digitized by Google

et fere in conspectu explicata proponitur: id quod Rosarium sancte colentibus aspergit animos nova semper quadam pietatis dulcedine, perinde afficiens et movens quasi vocem ipsam exciperent indulgentissimae Matris, eadem aperientis mysteria multaque salutariter alloquentis.

Quare non id nimis affirmatum videbitur, quibus et locis et familiis et gentibus honorem pristinum Marialis Rosarii consuetudo retineat, nullam ibi iacturam fidei ab ignorantia pestiferisque erroribus metuendam.

III. Rosarium praebet insigne specimen perfectae virtutis.

Sed alia non minus praestat, quam Ecclesia filiis suis magnopere a Rosario quaerit, utilitas; ea est, ut ad fidei sanctae normam et praescripta vitam moresque suos diligentius componant. Si enim, ut omnes tenent divinum effatum, *fides sine operibus mortua est*

Digitized by Google

(Iac. 2, 20), eo quia fides vitam ducit a caritate, caritas autem in ubertatem exit sanctarum actionum: nihil profecto emolumenti ad aeterna christianus homo percepturus erit ex fide sua, nisi rationem vitae secundum eam direxerit: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* (ib. 2, 14) . . . Quo igitur fides quam profitemur consentanea fructuum laetitia melius florescat; simul ex mysteriis ipsis, quae mens considerando persequitur, ad virtutum proposita mire animus inflammatur.

Opus nempe salutiferum *Christi Domini*, quale nobis eminet ac nitet in omnes partes *exemplum!* Magnus omnipotens Deus, urgente in nos nimia caritate, ad infimi hominis conditionem sese extenuat. . . . Tum ipse interquiescentibus nobis in complexu suo, de illo spirat mystico igne quem ad homines

Digitized by Google

detulit, deque sui mansuetudine animi ac submissione benigne insinuat, quarum usu virtutum nos optat verae solidaeque pacis, cuius est auctor, participes: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris* (Mt 11, 28). Sed ipse tamen . . . hominum subit odia iniuriasque atrocissimas, atque sanguinem et spiritum cruci suffixus profundit, nihil spectans enixius quam ut illis pariat sua morte vitam. . . . (Quod exemplum) tantum efficiet ut, illuminata hominis mente et animo vehementer impulso, totum prope rapiat ad ipsius Christi vestigia per omne discrimen sectanda. . . .

Ne vero ad exempla quae Christus, homo idemque Deus, de se exhibet sane quam maxima, nativae nos imbecillitatis conscientia absterriti deficiamus, una cum mysteriis eius mysteria *Matris sanctissimae* habemus oculis mentis ad contemplandum oblata.

Digitized by Google

E regia Davidis stirpe est ea quidem progenita, . . . quae vitam in obscuro agit . . . rei familiaris tenuitate contenta. . . . Allato caelesti nuntio designatur, ex qua virtute agente Spiritus Sancti exspectatus ille Servatur gentium nostra in humanitate sit proditurus. Celsissimum dignitatis gradum quanto plus ea miratur . . ., tanto se deprimit humilius, seque Dei ancillam, eius dum fit Mater, prompto animo edicit et devovet. Quod autem pollicita sancte est, id alacris sancte praestat, iam tum perpetua cum Iesu Filio, ad gaudia, ad lacrimas, communione vitae instituta. Sic tale fastigium gloriae, ut nemo alius nec homo, nec angelus, obtinebit, quia cum ipsa nemo erit virtutum promeritis conferendus. . . . Ecce in Maria virtutis omnis exemplar vere bonus et providens Deus constituit nobis aptissimum. . . .

Per iter euntibus, divino Christi sanguine et Mariae lacrimis con-

Digitized by Google

secratum, certus erit nobis nec difficilis exitus ad societatem quoque beatissimae eorum gloriae fruendam.... *Obaudite me ... et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate: quasi Libanus suavitatem odoris habete. Florete flores quasi lilium, et date odorem et frondete in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Date nomini eius magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum et in canticis et citharis, ... in omni corde et ore collaudate et benedicite nomen Domini* (Eccli 39, 17—20 41).

Quibus consiliis et optatis si forte illuserint nefarii homines, qui *quaecumque ignorant, blasphemant,* parcat illis clementer Deus.

Datum Romae, die 8 Sept. 1892.

Leo PP. XIII.

Digitized by Google

Pars VII.

Hymni in honorem B. M. V.,

qui optime tamquam sacrae lectiones usurpari possunt in sabbatis; siquidem uberrimam considerationis piae materiam legentibus subministrant.

Sequentia in Assumptione B. M. V.[1]

Ave Virgo singularis,
Mater nostri salutaris,
Quae vocaris stella maris,
Stella non erratica;

---

[1] Hae tres sequentiae ad Beatam Virginem auctorem habent Adamum a S. Victore, qui natus est 1130 in Britannia (Anglia vel Armorica?), obiit 1180—1190, canonicus S. Augustini, Parisiis, in monasterio S. Victoris. Eius sequentiae ab omnibus summis laudibus celebrantur et simul cum sequentiis p. 201 472 475 per plura saecula dignae habitae sunt, quae recitarentur ab Ecclesia in ipso sacrosancto Missae Sacrificio. Et secunda quidem, quae incipit: «Salve Mater Salvatoris», vocatur «monile margaritarum» («un collier de perles»). Ipsa Beata Virgo Maria Adamo de huius sequentiae compositione gratias egit per miraculum. Cf. *Migne*, P. lat. CVIC 1502; *Nicolas*, La Vierge Marie vivant dans l'Église I 273 sqq; *Iodocus Clichtovaeus*, Elucidatorium ecclesiasticum, Parisiis 1521, passim. Hic vir doctissimus narrat, se in monasterio illo Parisiensi audivisse, Adamum sancte vixisse.

Digitized by Google

Nos in huius vitae mari
Non permitte naufragari,
Sed pro nobis salutari
Tuo semper supplica.

Saevit mare, fremunt venti,
Fluctus surgunt turbulenti,
Navis currit, sed currenti
Tot occurrunt obvia;
Hic sirenes voluptatis,
Draco, canes cum piratis
Mortem paene desperatis
Haec intentant omnia.

Post abyssos nunc ad caelum
Furens unda fert phaselum,
Nutat malus, fluit velum,
Nautae cessat opera;
Contabescit in his malis
Homo noster animalis,
Tu nos, Mater spiritalis,
Pereuntes libera.

Tu, perfusa caeli rore,
Castitatis salvo flore,
Novum florem novo more
Protulisti saeculo;
Verbum Patri coaequale
Corpus intrans virginale
Fit pro nobis corporale
Sub ventris umbraculo.

Te praevidit et elegit,
Qui potenter cuncta regit,
Nec pudoris claustra fregit,
Sacra replens viscera.

Digitized by Google

Nec pressuram nec dolorem
Contra primae Matris morem
Pariendo Salvatorem
Sensisti puerpera.

O Maria, pro tuorum
Dignitate meritorum
Supra choros Angelorum
Sublimaris unice:
Felix dies hodierna,
Qua conscendis ad superna!
Pietate tu materna
Nos in immo respice.

Radix sancta, radix viva,
Flos et vitis et oliva,
Quam nulla vis insitiva
Iuvit ut fructificet;
Lampas soli, splendor poli,
Quae splendore praees soli,
Nos assigna tuae proli,
Ne districte iudicet.

In conspectu summi regis
Sis pusilli memor gregis,
Qui transgressor datae legis
Praesumit de venia:
Iudex mitis et benignus,
Iudex iugi laude dignus,
Reis spei dedit pignus,
Crucis factus hostia.

Iesu, sacri ventris fructus,
Nobis inter mundi fluctus
Sis via, dux et conductus
Liber ad caelestia.

Digitized by Google

Tene clavum, rege navem,
Tu, procellam sedans gravem,
Portum nobis da suavem
Pro tua clementia.

Altera sequentia in Assumptione B. M. V.

Salve, Mater Salvatoris,
Vas electum, vas honoris,
Vas caelestis gratiae;
Ab aeterno vas provisum,
Vas insigne, vas excisum
Manu sapientiae!

Salve, Verbi sacra parens,
Flos de spinis, spina carens,
Flos spineti gloria!
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati,
Sed tu spinae nescia.

Porta clausa, fons hortorum,
Cella custos unguentorum,
Cella pigmentaria,
Cinnamoni calamum,
Myrrham, thus et balsamum
Superans fragrantia.

Salve, decus virginum,
Restauratrix hominum,
Salutis puerpera;
Myrtus temperantiae,
Rosa patientiae,
Nardus odorifera!

Digitized by Google

Tu convallis humilis,
Terra non arabilis,
Quae fructum parturiit.
Flos campi, convallium
Singulare lilium,
Christus ex te prodiit.

Tu caelestis paradisus,
Libanusque non incisus,
Vaporans dulcedinem:
Tu candoris et decoris,
Tu dulcoris et odoris
Habes plenitudinem.

Tu es thronus Salomonis,
Cui nullus par in thronis
Arte vel materia:
Ebur candens castitatis,
Aurum fulvum caritatis
Praesignant mysteria.

Palmam praefers singularem
Nec in terris habes parem
Nec in caeli curia;
Laus humani generis,
Virtutum prae ceteris
Habes privilegia.

Sol luna lucidior,
Et luna sideribus.
Sic Maria dignior,
Creaturis omnibus.
Lux eclypsim nesciens
Virginis est castitas.
Ardor indeficiens,
Immortalis caritas.

Digitized by Google

Salve, Mater pietatis
Et totius Trinitatis
Nobile triclinium,
Verbi tamen incarnati
Speciale maiestati
Praeparans hospitium!

O Maria, stella maris,
Dignitate singularis,
Super omnes ordinaris
Ordines caelestium:
In supremo sita poli
Nos commenda tuae proli,
Ne terrores sive doli
Nos supplantent hostium.

In praecinctu constituti,
Te tuente simus tuti,
Pervicaces et versuti,
Tuae cedat vis virtuti,
Dolus providentiae.
Iesu, Verbum summi Patris,
Serva servos tuae Matris,
Solve reos, salva gratis
Et nos tuae claritatis
Configura gloriae.

Sequentia in Purificatione B. M. V. [1]

Lux advenit veneranda,
Lux in choris iubilanda
Luminosis cordibus.

---

[1] Auctor Adamus a S. Victore.

Digitized by Google

Huius laeti lux diei,
Festum refert, Matris Dei
Dedicandum laudibus.

Vox exultet modulata,
Mens resultet medullata,
Ne sit laus inutilis.
Sic laus Deo decantetur,
Ut in eo collaudetur
Mater eius nobilis.

Gloriosa dignitate,
Viscerosa pietate,
Compunctiva nomine.
Cum honore matronali,
Cum pudore virginali,
Nitet caeli cardine.

Rubus quondam exardebat,
Et hunc ardor non urebat,
Nec virorem nocuit:
Sic ardore spiritali,
Non attactu coniugali,
Virgo Deum genuit.

Haec est ille fons signatus:
Hortus clausus, foecundatus
Virtutum seminibus.
Haec est illa porta clausa,
Quam latente Deus causa,
Clauserat hominibus.

Haec est vellus trahens rorem,
Plenus ager dans odorem
Cunctis terrae finibus.

Digitized by Google

Haec est virga ferens florem,
Terra suum Salvatorem
Germinans fidelibus.

Haec est dicta per exemplum:
Mons, castellum, aula, templum,
Thalamus et civitas.
Sic eidem aliorum
Assignatur electorum
Nominum sublimitas.

Cuius preces vitia,
Cuius nomen tristia,
Cuius odor lilia,
Cuius vincunt labia
Favum in dulcedine.

Super vinum sapida,
Super nivem candida,
Super rosam roscida,
Super lunam lucida
Veri solis lumine.

Imperatrix supernorum,
Superatrix infernorum,
Eligenda via coeli,
Retinenda spe fideli:
Separatos a te longe,
Revocatos ad te iunge
Tuorum collegio.

Mater bona, quam rogamus:
Nobis dona quod optamus.
Nec sic spernas peccatores,
Ut non cernas precatores

Digitized by Google

Reos sibi diffidentes:
Tuos tibi confidentes
Tuo siste Filio. Amen.

Prosa in Dominica infra oct. Nat. [1]

Splendor Patris et figura
Se conformans homini,
Potestate, non natura
Partum dedit virgini.

Adam vetus tandem laetus
Novum promat canticum,
Fugitivus et captivus
Prodeat in publicum.

Eva luctum, vitae fructum
Virgo gaudens edidit.
Nec sigillum propter illum
Castitatis perdidit.

Si crystallus sit humecta
Atque soli sit obiecta,
Scintillat igniculum.
Nec crystallus rumpitur,
Nec in partu solvitur
Pudoris signaculum.

Super tali genitura
Stupet usus et natura,
Deficitque ratio.
Res est ineffabilis,
Tam pia quam humilis
Christi generatio.

---

[1] Auctor Adamus a S. Victore.

Digitized by Google

Frondem, florem, nucem sicca
Virga profert, et pudica
Virgo Dei Filium.
Fert caelestem vellus rorem,
Creatura Creatorem,
Creaturae pretium.

Frondis, floris, nucis, roris,
Pietati Salvatoris
Congruunt mysteria.
Frons est Christus protegendo,
Flos dulcore, nux pascendo,
Ros caelesti gratia.

Cur quem virgo peperit,
Est Iudaeis scandalum?
Cum virga produxerit
Sicca sic amygdalum.
Contemplemur adhuc nucem,
Nam prolata nux in lucem:
Lucis est mysterium.
Trinam gerens unionem,
Tria confert: unctionem,
Lumen et edulium.

Lux est caecis, et unguentum
Christus aegris, et fomentum
Piis animalibus.
O quam dulce Sacramentum:
Foenum carnis in frumentum
Convertit fidelibus.

Quos sub umbra Sacramenti,
Iesu, pascis in praesenti,
Tuo vultu satia.

Digitized by Google

Splendor Patri coaeterne,
Nos hinc transfer ad paternae
Claritatis gaudia. Amen.

Sacrosancta Virgo Maria ad Crucem comparata. [1]

Lignum vitae quaerimus:
Qui vitam amisimus
Fructu ligni vetiti.
Nec inventum noverit,
Qui fructum non viderit
Adhaerentem stipiti.

Fructus, per quem vivitur,
Pendet, sicut creditur,
Virginis ad ubera.
Et ad crucem iterum,
Inter viros scelerum:
Passus quinque vulnera.

Hic virgo puerpera:
Hic crux salutifera,
Ambo ligna mystica.
Haec hyssopus humilis:
Illa cedrus nobilis,
Utraque vivifica.

Positus in medio:
Quo me vertam nescio.
In hoc dulci dubio:
Dulcis est collatio.

---

[1] Auctor ignotus. Invenitur apud *Clichtovaeum*, Elucidatorium ecclesiasticum, Parisiis 1521.

Digitized by Google

Hic complexus brachiis,
Modis vagit variis:
Hic extendit brachia,
Complexurus omnia.

Carum mater tenere
Novit hic tenere:
Caritas sub latere
Nescit hic latere.

Hic adhaerens pectori,
Pascitur ab ubere:
Hic affixus arbori,
Pascit nos ex vulnere.

Crux ministrat pabula,
Fructu nos reficiens:
Mater est praeambula,
Fructum nobis nutriens.

Crux in loco pascuae
Pascit nos praecipue:
Sed virgo praecipua
Pascit ipsa pascua.

Tandem ad hoc trahitur
Finalis sententia:
Quod nemo consequitur
Unam sine alia.

Qui crucem elegerit,
Nec sic matrem deserit;
Cum ad crucem venerit,
Matrem ibi poterit
Stantem invenire.

Digitized by Google

Nec qui matrem eligit,
Crucem prorsus abigit,
Si modum intelligit,
Quo per matrem contigit
Gladium transire.

Ergo qui utramlibet
Optat, illam adeat;
Ex quo nihil prohibet
Quin utraque gaudeat.

Fili matris unice,
Matris crucifixae,
Nos de cruce respice,
Fili crucifixe.

Fructus o vivifice,
Fructus ligni vitae:
Nos te ipso refice,
Nobis da frui te. Amen.

Hymnus S. Ephraim Syri in honorem B. M. V.[1]

Admirans contemplatus sum
Mariam. In ventre virginis
Qui replet caelos, habitat.
Maria, filia pauperum,
Fit genitrix Ditissimi,
Amore qui coactus est.

---

[1] S. Ephraim Syrus, qui vixit circiter 306—373, 9 Iunii, diversos hymnos composuit in honorem B. M. V., miram suavitatem redolentes. Unde cognomen «Citharae Spiritus Sancti» adeptus est. Praesens hymnus est omnium suavissimus et pulchritudinis vere sublimis exemplar, fatente Th. Lamy, qui eos edidit (Hymni et Sermones, syrice et latine, Mechliniae 1881, II 621, coll. p. XIX).

Digitized by Google

Ignis in sinu virginis,
Quae flamma non comburitur.
Sol maximus, se contrahens,
Se condit nube in lucida.
Puella facta est genitrix
Progenitoris omnium.

Portabat dulcem puerum,
Quem blandiens amplexa est,
Cui, blanda voce gratulans,
Adorans dixit: Iube me,
Magister mi, amplecti te;
Tu namque Filius meus es.

Te cantilenis blandiar;
Quae mater tua facta sum,
Honore celebrabo te.
O Fili mi, quem peperi,
Me senior es, Domine,
Tu, quem portavi, portas me.

Turbatur meus animus
Timore tui; firma me.
Tua altitudines caeli
Maiestas replet gloriae;
Et sinus meus, Domine,
Pro te angustior non est!

In me et in caelis habitas;
Sed caelum me sustineat
Et teneat amplexibus;
Prae illo namque digna sum.
Nam caelum thronus tuus est,
Nequaquam tibi mater est.

Digitized by Google

O quam honorabilior,
O quam venerabilior
Est mater regis solio!
Ergo agam tibi gratias,
Qui matrem elegisti me,
Et cantu celebrabo te.

O omnium antiquior,
Qui caelo descendisti ad me,
Tibi meum «Magnificat»!
In meis sedes genibus,
Et super te suspensa sunt
Caeli terraeque fornices.

Dum apud me es, Domine,
Multa Angelorum millia
Venerabundi adorant te;
Dum brachiis amplector te,
Et manibus detineo,
Te proni gestant Cherubim.

Nunc audiat et veniat
Antiqua mater Heva ad me,
Suumque caput elevet,
Quod inclinatum fuerat
Horti sub ignominia.
Seductor eius serpens est

Contritus per te, surculum,
E sinu meo qui ortus es;
Per te horrendus Cherubim
Et gladius remoti sunt,
Ut Adam, unde expulsus est
In paradisum redeat.

Digitized by Google

Hevaque et Adam veniant,
Ut fructum vitae verum Te
E me decerpant hilares;
Et per te dulces fiant quas
Eorum fauces vetitus
Fructus amaras reddidit.

O puer senex, nate mi,
Per te cuncti orbis pueri
Benedicantur, inferis
Qui detinentur exeant,
Illuminentur tenebrae,
Per te ditentur pauperes.

Esurientes repleas,
Et mortuos resuscites,
Caelique et terrae vocibus
Laudationis resonent.
O benedictus omnium
Sit Dominus, qui misit te!

Rhythmus de B. M. V. ad Praesaepe Domini [1].

Stabat mater speciosa
Iuxta foenum gaudiosa,
Dum iacebat parvulus;
Cuius animam gaudentem,
Laetabundam et ferventem
Pertransivit iubilus.

---

[1] Hoc carmen, quod haurimus ex tribus codicibus mss. (Clm. Monacen. 11917; Cod. Parisin, Fonds ital. 559; Cod. Oxonien. Canon. Misc. 5361), ascribitur *Iacobo de Benedictis* (Jacopone da Todi).

Digitized by Google

O quam laeta et beata
Fuit illa immaculata
Mater unigeniti!
Quae gaudebat et ridebat,
Exsultabat, cum videbat
Nati partum incliti.

Quis est homo, quin gauderet,
Christi matrem si videret
In tanto solacio?
Quis non posset collaetari,
Christi matrem contemplari
Ludentem cum filio?

Pro peccatis suae gentis
Christum vidit cum iumentis
Et algori subditum;
Vidit Christum, dulcem natum,
Vagientem, adoratum
Vili diversorio.

Nato Christo in praesaepe
Caeli cives canunt laete
Cum immenso gaudio.
Stabant senex et puella
Non cum verbo nec loquela,
Stupescentes cordibus.

---

qui natus est 1240 Tuderti in Italia; obiit die Natali Domini Nostri Iesu Christi 1306, frater laicus O. F. M., in monasterio Collazonensi. Certo constat non unum eumdemque poëtam hoc carmen rhythmicum et sequentiam «Stabat mater dolorosa», cuius est imitatio, fecisse. Verisimile est Iacobum esse auctorem huius rhythmi pulcherrimi «Stabat mater speciosa», cum S. Bonaventura sequentiam «Stabat mater dolorosa» fecerit.

Digitized by Google

Eia, mater, fons amoris,
Me sentire vim ardoris
Fac, ut tecum sentiam;
Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Et sibi complaceam.

Sancta mater, istud agas,
Parvi nostri ducas plagas
Cordi fixas valide;
Tui nati caelo lapsi,
Iam dignati foeno nasci,
Poenas mecum divide.

Fac me vere congaudere,
Parvulino cohaerere,
Donec ego vixero;
Iuxta stramen tecum stare,
Te libenter sociare
In foeno desidero.

In me sistat ardor tui,
Puerino fac me frui,
Dum sum in exsilio;
Hunc ardorem fac communem,
Ne me facias immunem
Ab hoc desiderio.

Virgo virginum praeclara,
Mihi iam non sis amara,
Fac me parvum rapere;
Fac, ut portem parvi sortem,
Qui nascendo vicit mortem
Volens vitam tradere.

Digitized by Google

Fac me tecum spatiari,
Nato tuo inebriari,
Stans intus tripudians.
Inflammatus et accensus
Obstupescat omnis sensus
Tali de commercio.

Fac me nato custodiri,
Verbo Dei praemuniri
Conservari gratia.
Quando corpus morietur,
Fac, ut animae donetur
Tui nati visio.

Omnes stabulum amantes
Hic pastores vigilantes,
Pernoctantes socient.
Per virtutem nati tui
Ora, ut electi sui
Veniant ad patriam.

Digitized by Google

Appendix I.

Quaedam pulchrae orátiones Dionysii Cartusiani, Doctoris Ecstatici.

(Vixit 1402—1470 Ruraemundae in Hollandia. — Opera omnia, Monstrolii [Montreuil] 1896).

Fac nos, quaesumus, Deus Pater aeterne, speciem et pulchritudinem unigeniti Filii tui diligere, ipsumque speciosum forma prae filiis hominum toto corde desiderare; et ut uncti oleo Sancti Spiritus, ipsius gratia semper tuis in oculis placeamus. (In Ps 44.)

Deus, Pater virtutum, esto propitius dux itineris recti in conspectu populi, Filii tui sanguine redempti: ut forti a te plantata radice christianae professionis, impleat terram aeternae repromissionis. (In Ps 79.)

Virtutibus planta nos in domo tua, Domine, et ut bonum semen fac nos in omni speciosa religione

Digitized by Google

fructificare: in quo ut palma flore iustitiae surgentes, in eo per te consummati perenniter ante te floreamus exultantes. (In Ps 101.)

Domine, regnator caeli et terrae, indue nos bonorum operum decore et fortitudine gratiae tuae, ac praecinge castimoniae virtute; daque his nitidis et nuptialibus vestibus tibi venienti obviare, et ornatis lampadibus ad aeternitatis nuptias tecum intrare: qui cum Deo Patre vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. (In Ps 102.)

Deus, qui respicis terram et facis eam tremere, timorem tuum salutarem cordibus nostris immitte: ut relictis malis quibus te graviter offendimus, per spiritum tuum renovata in nobis facie peccati, sancta tibi devotione adhaereamus, et in iucunditate perceptae salutis semper tibi psallamus. (In Ps 103.)

Te, Domine, praecipiente, sileant fluctus tempestatum vitae nostrae, et statue procellam nostram in

Digitized by Google

auram tranquillitatis et laetitiae: ut in portum salutis te gubernatore deducti, nos misericordiae tuae opera confiteamur tibi. (In Ps 106.)

Nota. Diversae orationes ex antiquis «Sacramentariis» habentur p. 108 sqq. Nam Missale Romanum ex ipsis coaluit.

Appendix II,

complete exhibens omnes Preces iaculatorias [1]

a Romanis Pontificibus approbatas et copiosis indulgentiis ditatas.

(Cf. imprimis eas, quae habentur p. 125 et 136.)

Ad Deum.

* † In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen [2].

Dominus meus et Deus meus! [3]

---

[1] Asterisco (*) notantur eae quae habent indulg. *toties quoties*, et ** si 300 dies toties quoties.

[2] 50 dies, et si cum aqua benedicta, 100 (Pius IX, 28 Iulii 1863, 23 Martii 1866).

[3] Pro iis, qui aspicientes s. Hostiam, sive in elevatione Missae, sive in solemni expositione, haec verba dixerint, indulg. 7 annorum et 7 quadrag. singula vice, item plen. semel in hebdom., si quotidie (Pius X, 18 Maii 1907).

Digitized by Google

*Deus meus et omnia (Actus amoris S. Francisci Assis.)[1].

Domine mi, fac ut amem te, et ut praemium amoris mei sit amare te magis in dies (Invocatio S. Ignatii de Loyola)[2].

*Laudetur Iesus Christus. — *R.* Amen *vel* In saecula[3].

Salvator mundi, miserere nobis[4].

Fiat, laudetur atque in aeternum superexaltetur iustissima, altissima et amabilissima voluntas Dei in omnibus[5].

*Domine, conserva nobis fidem[6].

Indue me, Domine, novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia et sanctitate veritatis[7].

---

[1] 50 dies, defunctis quoque applic. (Leo XIII, 4 Maii 1888).

[2] 100 dies, defunctis quoque applic. (Leo XIII, 15 Martii 1890).

[3] 50 dies toties quoties duo se ita salutant; indulg. plen. in morte pro habentibus talem consuetudinem (Clemens XIII, 5 Sept. 1759).

[4] 50 dies, defunctis quoque applic. (Leo XIII, 21 Febr. 1891).

[5] 100 dies, indulg. plen. semel in anno si quotidie recitetur (Pius VII, 19 Maii 1818).

[6] 100 dies (Pius X, 20 Martii 1908).

[7] 300 dies toties quoties cuiusvis ordinis clericus haec dicit in assumendo superpelliceo (Pius X, 1 Dec. 1907).

Digitized by Google

**Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende[1].

Ad Iesum.

*Mi Iesu, misericordia[2].

Iesu, fili David, miserere mei[3].

*Iesu, Deus meus, super omnia amo te[4].

*Dulcissime Iesu, non sis mihi Iudex, sed Salvator[5].

Domine Iesu, doce nos orare sicut Patrem orasti, ut omnes unum sint[6].

Dulcissime Iesu, da mihi fidei, spei et caritatis augmentum, cor contritum et humiliatum[7].

Adoramus te, sanctissime Domine Iesu Christe, benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum[8].

---

[1] Pius X, 8 Maii 1907.
[2] 100 dies (Pius IX, 24 Sept. 1846).
[3] 100 dies (Leo XIII, 27 Febr. 1886).
[4] 50 dies (Pius IX, 7 Maii 1854).
[5] 50 dies (Pius IX, 11 Aug. 1851).
[6] 100 dies (Leo XIII, 9 Martii 1893).
[7] 100 dies, defunctis quoque applic. (Leo XIII, 13 Sept. 1893).
[8] 100 dies (Leo XIII, 4 Martii 1882).

Digitized by Google

Laudes et gratiae sint omni temporis momento sanctissimo ac divinissimo Sacramento [1].

Ad SS. Cor Iesu.

** Iesu mitis et humilis Corde, fac cor meum sicut Cor tuum [2].

Cor Iesu eucharisticum, miserere nobis [3].

Laudetur sacratissimum eucharisticum Cor Iesu [4].

** Cor divinum Iesu, converte peccatores, salva moribundos, libera animas sanctas Purgatorii [5].

** Cor Sacrum Iesu, adveniat regnum tuum [6].

Cor Iesu, habeo fiduciam in te [7].

---

[1] 100 dies semel in die; indulg. plen. semel in mense (Pius VII, 30 Iunii 1818).

[2] 300 die semel in die (Pius IX, 25 Ian. 1868); toties quoties (Pius X, 13 Sept. 1905).

[3] 50 dies (Leo XIII, 12 Dec. 1900); 300 dies semel in die (Pius X, 26 Iulii 1907).

[4] 300 dies toties quoties, defunctis quoque applic. (Pius X, 12 Iunii 1905).

[5] Pius X, 13 Iulii 1906.

[6] 300 dies ut videtur toties quoties, etsi non expresse dicitur (Pius X, 29 Iunii 1906: Acta S. Sedis XXIX 376).

[7] 300 dies semel in die, indulg. plen. semel in mense (Pius X, 27 Maii 1905).

Digitized by Google

Cor Iesu, flagrans amore nostri, inflamma cor nostrum amore tui [1].

** Cor Iesu, credo in amorem tuum erga me [2].

Ametur ubique sacratissimum Cor Iesu [3].

Laudatum, adoratum, amatum cum grati animi affectu sit eucharisticum Cor Iesu singulis temporis momentis, in omnibus orbis tabernaculis usque ad consummationem saeculorum. Amen [4].

Ad B. V. Mariam.

Domina nostra Sanctissimi Sacramenti, ora pro nobis [5].

** Maria, spes nostra, miserere nobis [6].

Nostra Domina bonorum studiorum, ora pro nobis [7].

---

[1] 100 dies, defunctis quoque applic. (Leo XIII, 15 Iulii 1893).

[2] Pius X, 29 Iunii 1907.

[3] 100 dies (Pius IX, 23 Sept. 1860).

[4] 100 dies (Pius IX, 29 Febr. 1868).

[5] 300 dies quoties coram SS. Sacramento publice exposito dicitur (Pius X, 30 Dec. 1905).

[6] 300 dies ut videtur toties quoties, etsi non expresse dicitur (Pius X, 3 Ian. 1906: Acta S. Sedis XXVIII 413).

[7] 300 dies (Pius X, 16 Maii 1906).

Digitized by Google

** Mater amoris, doloris et misericordiae, ora pro nobis [1].

** Nostra Domina de Lourdes, ora pro nobis [2].

* Nostra Domina a Sacro Corde, ora pro nobis [3].

Bone Iesu, rogo te per dilectionem, qua diligis Matrem tuam, ut sicut vere eam diligis et diligi vis, ita mihi des, ut vere eam diligam [4].

Maria Mater Dei et Mater misericordiae, ora pro nobis et pro defunctis [5].

Ad B. Mariam V. immaculate Conceptam.

O Maria sine peccato concepta, ora pro nobis, qui ad te confugimus [6].

** Benedicta sit sancta et immaculata Conceptio beatissimae Virginis Mariae, Matris Dei [7].

---

[1] Pius X, 14 Maii 1908.
[2] Pius X, 9 Nov. 1907).
[3] 100 dies (Pius X, 28 Iunii 1904).
[4] 100 dies pro Sacerdotibus et aliis in Sacris constitutis (Leo XIII, 16 Aug. 1884).
[5] 100 dies (Leo XIII, 15 Dec. 1883).
[6] 100 dies (Leo XIII, 15 Martii 1884).
[7] Leo XIII, 10 Sept. 1878.

Digitized by Google

*In conceptione tua, Virgo Maria, immaculata fuisti; ora pro nobis Patrem, cuius Filium Iesum de Spiritu Sancto conceptum peperisti [1].

Tibi, Virgo Mater, quae nulla umquam culpae macula nec actualis nec originalis infecta fuisti, cordis mei puritatem commendo atque confido [2].

O Maria, quae in hunc mundum sine macula ingressa es, heu impetra mihi a Deo, ut sine culpis ab illo egredi possim [3].

Ad S. Familiam etc.

Iesu, Maria, Ioseph, illuminate nos, succurrite nobis, salvate nos. Amen [4].

**Iesu, Maria [5].

*****Iesu, Maria, Ioseph [6].

---

[1] 100 dies (Pius VI, 21 Nov. 1793).
[2] 100 dies (Pius IX, 26 Nov. 1854).
[3] 100 dies (Pius IX, 27 Martii 1863).
[4] 200 dies (Leo XIII, 20 Nov. 1890).
[5] 300 dies, defunctis quoque applic. (Pius X, 10 Oct. 1904).
[6] Indulg. 7 annorum et 7 quadrag. toties quoties, plen. semel in mense, defunctis quoque applic. (Pius X, 8 Iunii 1906: Acta S. Sedis XXIX 373 sq).

Digitized by Google

**Maria, dolorosissima Mater omnium christianorum, ora pro nobis [1].

S. Ioseph, amice Sacri Cordis Iesu, ora pro nobis [2].

*Nos Iesu, Maria, Ioseph bone, Benedicite nunc et in mortis agone [3].

Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen [4].

Sancte Michaël Archangele, defende nos in praelio, ut non pereamus in tremendo iudicio [5].

---

[1] 300 dies, defunctis quoque applic. (Pius X, 4 Iunii 1906).

[2] 100 dies (Pius IX, 1874).

[3] 50 dies, defunctis quoque applic. (Pius X, 9 Iunii 1906).

[4] 50 dies bis in die, defunctis quoque applic. (Leo XIII, 17 Dec. 1892).

[5] 100 dies (Leo XIII, 19 Aug. 1893).

Lector dilecte in Christo, memento auctoris huius opusculi in orationibus tuis.

Digitized by Google

Digitized by Google

142.417

Digitized by Google

Digitized by Google